





23

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
HEREDE DEFVNCTVM  
IN DEBITIS PECVNIARIIS NON  
SIMPLICITER REPRAESEN-  
TANTE

77577.

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE HEREDITARIO  
AC DOMINO

P. 294  
DN. FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ET AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO  
FRIDERICO GVILIELMO PESTEL

I. V. D. EIVSDEMQUE ET PHILOS. MORAL. PROFESS. ORDINAR.  
PRAECEPTORE ET PATRONO SVO AETERNVM

DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

A. D. V. ID. *cl bcc LVII.*

PVBLCO CELEBERRIMORVM ACADEMIAE PROCERVVM  
EXAMINI SVBMITTET

HERMANNVS NICOLAVS FVNCCIYS

RINTELIENSIS.

RINTELIUM TYPIS IOH. GODOFR. ENAX A. T.



DISSERTATIO RYBICA INAGYVALLIS

HERBIDE BELVINCTVM  
IN DEBITIS PECUNIARIIS NON  
SIMPPLICITER REPARARI  
TANTE

FACTORE ACADEMIAE MAGISTRUM

DM. FRIDERICO

RECTORI ET CANCELLARI

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FRIDERICO GUILIELMO PESTER

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE

FR. RESIDUE

ALIO DIE





§. I.

**Q**uod de compluribus sententiis, quae abierunt in  
proverbium, testatur experientia, eas vitio,  
cui apud logicos *determinationis omissae* nomen  
est, nimium laborare: id de vulgato illo,  
quo Imperator utitur in *Nov. 22. c. 20. mors*  
*omnia soluit*; recte affirmaveris. Non simpliciter illud verum  
esse, asseret cum *theologo philosophus*: nec, nisi suis circum-  
scriptum limitibus, admittet legum *naturalium externarum* de-  
monstrator, et *civilium* interpret. Damus, de quibus primo  
exponere animus est, morte *iura cuiusque* interire *con-*  
*nata*. Haec enim a *nexu inter homines uniuersos sociali* pen-  
dent, cuius rationem continet natura humana, vt laesionis  
per homines, ita vitae etiam cum iis securae, capax, quae vti  
soluto animae et corporis connubio, ita simul naturale alter-  
norum officiorum socialium vinculum, dissoluitur. Nulla  
igitur sunt iura mortuorum *stricta*, quia non cadit in ipsos  
talis affectio, vt laedi possint. Sed vigent, atque firmo  
stant talo iura viuorum, per mortuos, dum viuerent, ad  
illos legitimo modo translata: siue *plene*, ita, vt nulla eo-  
rum pars penes mortuos remanserit, dum vita iis suppete-  
ret, siue *minus plene*, ita vt quaedam eorum communio  
viuis esset cum mortuis, ac solitaria demum eorundem fruitio  
et acquisitio a transferentis obitu inciperet. Quod cum  
fit, ponuntur res et iura *cessionis capacia*, ponitur *cessio* eo-  
rum



nam *legitime facta*, quae vniuersos obstringit, vt cessionarium, in eorum iurium, quae mortui cessioni accepta refert, exercitio, et rerum ab eo acceptarum proprietate, non impediunt. Ac de illis quidem, quae cedens, dum superfuit, plene in viuum transmittit (e.g. per venditionem, permutationem, donationem) non temere quisquam dubitauerit. De reliquis, quorum plena i. e. solitaria acquisitio post mortem differtur, et interim ius poenitendi, aut res, alteri in euentum mortis cessas, mutandi, consumendi, abdicandi, sibi promittens integrum esse voluit, ex notione proprietatis, et facultatis de suo acquisito statuendi pro libitu, pariter constat. Nam pone vim cessionis minus plenae, quae in *pactis successoriis* continetur, ipso mortis momento abire in auras: tum fingi oporteret, eadem, vltra mortem protenta, reliquorum viuientium iura connata aut acquisita violatum iri. Sed his neque aliquid est iuris acquisiti in res et proprietatem defuncti, neque cum connato eorum iure eiusmodi cessio pugnat: quoniam, quod solum aliquam dubitationem mouere posset, occupandi ius non cadit in alia obiecta, nisi ea, quae sunt plane nullius. Igitur morte creditoris, qui ius crediti alteri sub conditione, si se vita superaturus esset, cessit, naturaliter non liberatur debitor, non extinguuntur pignora, seruitutes, bona cessa neque direptioni patent, neque primo occupanti acquiruntur.

## §. II.

De trans-  
missione ob-  
ligationum  
defuncti ad  
vivos se-  
cundum I.  
N.

Haecenus de iuribus. Similiter non vniuersus *obligationum* defuncti ambitus morte tollitur: sed quaedam ab eo contractae ad vivos transferuntur, ita vt ab his, quam nondum defunctus praefuit, satisfactio recte postuletur. Quamuis enim obligationes *connatae* dispereant, simulatque naturae tributum redditur, et homo membrum societatis vniuersalis, inter homines a natura constitutae, esse definit: *acquisitae* tamen (quae latiori significato *debita* appellantur)

lantur) et quidem illae, quarum duratio personae defuncti indissolubili vinculo non cohaeret, ad viuos transeunt, qui pro defunctis se satisfacturos vel promiserunt, vel ipsa lege naturali proxime obstringuntur. Obstringuntur autem *proxime* apprehensione rerum, quae in defuncti dominio erant, cum extingueretur: vt vel vniuersas illas cum fructibus dimitti, et creditoribus tradi, vel *speciem debitam* petenti restituui, vel solutione aeris alieni patrimonium liberari, oporteat. Per *debita pecuniaria* intelligimus *debita*, quorum *solutio ex bonis debitoris recte petitur*: et differunt a debitis, *latius dictis*, quae libertatem quoque et corpus debitoris constringunt, nec solas eius res et facultates afficiunt. Superior debitorum genus non extinguitur morte debitoris: sed post eius fata comitatur censum, quem reliquit, eiusque possessorem, aduersus quem *analogon quoddam iuris hypothecarii* in patrimonio defuncti, creditori competit. (a) Nam a momento, quo debitum pecuniarium contrahitur, creditori ius est, vel sine mora, vel stato die, sibi *suapte facto* ex opibus debitoris satisfaciendi, si vel ob huius fatum, vel malum animum, vltro non solvatur. In morte illius, tanquam actu physico, nulla continetur ratio, cur ius creditoris semel radicum, interimatur. Igitur hoc saluum superest; et verissimum manet vulgatum illud, *bona non intelligi, nisi deducto aere alieno*: nempe, res relictas neque occupari, neque ad alios post domini obitum *deriuari* posse, nisi solutis debitis pecuniariis, quae teredinis instar opes exesas minuunt. Ratio huius enuntii generalis, in iustitia petendae indemnitate posita, non patitur, nos in disciplina legis N. fontem, ex quo manant, distinguere. Siue oriantur ex laesione dolosa aut culposa, siue ex contractu et quasi con-

(a) Aes alienum bonis inhaerere, nobiscum contendit  
 PVFENDORF. in I. N. et G. lib. 4. c. XI. §. 19, et c. 10. §.  
 13. lib. 3. c. 1. §. 11.

contractu, variisque caussarum figuris, naturaliter nihil interest.

§. III.

*Notio heredis, defunctum re-praesentantis, explicata.*

Sunt igitur iura, sunt et obligationes mortuorum, quae per hos ad superstites transferri possunt. Superstes, in quem obligationes et iura defuncti cessibilia uniuersa, praeterquam legitime excepta, transferuntur, Ictis heres appellatur, (a) et is quidem vocatus, cui defunctus  $\tau\delta$  suum, durationis ultra

(a) Heres proprie significat *dominum*, et heredium *dominium*. Similis est primaeva interpretatio vocabuli Germanici *Erbe* et *Ervenis*. Sed vt Icti compluribus vocibus arti suae propriam subiecerunt significationem, e. g. *peculio, doti, pecuniae, pauperiei*, cet. ita etiam heredem a domino discernunt. Caeterum in definitione, *iurium*, quam *bonorum*, appellatio dilucidior est, licet postrema placuerit L. B. de WOLF *I. N. part. VII*, 958. et pluribus recentioribus philosophis. Hereditas, perinde vt B. P. est *nomen iuris*, quod latius patet, v. L. 119. de *V. S. L. 3. §. 1. de B. P. L. 50. pr. de H. P. L. 8. in f. de R. V.* Nam planum est, *hereditatem* dari, etfi *bonorum in hereditate* sis exfors, et his aliquem potiri posse, nec tamen fieri heredem. Praeter rem igitur hanc distinctionem vellicauit *SENECA de benef. VI, 6*, qui, *Ictorum*, inquit, *istae acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant vsucapi posse, sed ea quae in hereditate sunt, tanquam quid aliud sit hereditas, quam ea, quae in hereditate sunt.* Forte non ex sua persona haec disputauit Seneca, sed *Liberalem*, ad quem scripsit, loquentem induxit. Male heroi suo consuluit *LIPSIUS*, dum *CICERONIS* definitionem in partes vocat. Hic enim cum *hereditatem* dicit esse *pecuniam*, quae alicuius morte ad alium peruenerit, non singula corpora pecuniae appellatione comprehendit, sed *iurium uniuersitatem*, de qua interpretatione v. L. 5. L. 178. L. 222. de *V. S.*



ultra mortem et transmissionis capax, destinavit, factus autem, qui consensu suo, ad demortui destinationem accedente, acquisiuit. Haec ipsa iurium et obligationum, a defuncto ad viuum deriuatarum, complexio, quae *hereditas* vocatur, facit; vt ea *titulus* audiatur *vnioersalis*: non quasi nihil iuris habuerit mortuus, cuius non particeps fiat heres, sed *vnioersitas* intelligitur *moralis*, quae non simpliciter excludit exceptiones, sed nec patitur alias, nisi manifestas, aut de quibus liquido constare potest. *Repraesentare* alterum dicitur, cui in societate iura aut obligationes alterius perinde imputantur, vt propria. Arctior tum eius, qui alterius locum subit, tum illius, cuius personam alter sustinet, nexus parit *vnitatem moralem*, seu *conuenientiam (identitatem)* diuersorum hominum, qui, quantum ad iura quaedam aut obligationes, in societate non habentur pro diuersis. Quod ad heredem applicatum, stylo pragmaticorum sic efferri solet: *heres et defunctus habentur pro vna persona*. Haec vnitas foret *plena*, et defunctum heres *simpliciter* repraesentaret, si iura vtriusque et obligationes sine exceptione omnia glutino quodam tenacissimo continerentur, et separari non possent. Sed de tali coagulo neque ex naturae legibus constare, neque illud institutis ciuilibus, quibus in praesens Germania vnioersa vtitur, subniti, dilucidius asseremus.

§. IIII.

Quam late pateat *iurium et obligationum* heredis ambitus, quosue vtriusque natura statuatur limites, ex ipsa, quam (§. 3.) declarauimus, *heredis notione* metiri licet. Ex qua colligimus 1.) *compotem* ipsum fieri *iurium defuncti*, cuius personam sustinet, *quatenus cedi et transmitti potuerunt*, quaeque ille, dum viueret, non abdicauit, neque, vt post mortem ad alium, quam ad heredem, peruenirent, ratione legitima et vel naturaliter, vel ciuilliter, firma, statutum fuit. Nam ea fuit voluntas defuncti, de rebus suis statuentis: id heredis consilium, hereditatem sibi delatam acquirentis. Vtriusque

Quousque  
heres de-  
functum  
naturaliter  
repraesentet?

que, et offerentis et accipientis, voluntati firmitatem conciliat *lex naturalis*, vel *proxime*, (vt in pactis *successoribus*) vel *interueniente legis ciuilibus auctoritate*, (vt in testamentis et *successionibus intestatorum*.) Ratio igitur iuris hereditarii acquisiti posita est, a) in voluntate demortui, vt iura sua vniuersa, praeterquam ea, quae diferte et firmiter, hoc est, vi heredem obstringente, excepta sint, in hunc post fata sua transeant, b) consensu heredis in acquisitionem eorum, vel per pactum, vel per aditionem hereditatis iacentis, declarato, c) vi vtriusque legitima ad cogendos alios homines, ne heredem vel in aditione praeueniant, vel post hanc in vsu iuris acquisiti impediunt. Quibus consequens est II.) vt ea iura de hereditatis complexu eximantur, quae vel defunctus *legum ciuitatis permisso*, vel *leges ciuiles proxime*, velit nolit is, cui succeditur, exceperunt. Vtramque restrictionem sub *exceptionis legitimae* appellatione comprehendimus. Ita *res legatae* ab herede non retinentur, quia defunctus vetuit, et *lex ciuilibus* supreamas tabulas seruari iubet: neque ille rebus potitur, quae absque aliorum priuatorum aut reipublicae fraude, (e.g. *iura et priuilegia personalia*) transmitti non potuerunt. III.) *Obligaciones*, quae analogon quoddam iuris hypothecarii in rebus debitoris naturaliter pariunt, heredem constringunt: ceteras mors dissoluit. (§. 2.) *Debitis* igitur, quae eo animo contracta non sunt, vel contrahi non potuerunt, vt vltra mortem perdurent, plane exoneratur: qualia sunt e.g. quorum princeps ratio fuit pecuniaris promittentis dexteritas aut probitas electa, vt in mandato, tutela cet. *Debita pecuniaria*, etiam ex maleficio profecta, (§. 2.) heredem sequuntur. At vero IV.) aditione hereditatis naturaliter, h.e. extra legum ciuiliu praescripta, iura non *confunduntur*, nec patrimonio vtriusque commiscetur. Quamobrem vltra corporum hereditarium aestimationem heredes naturaliter non obstringuntur: nisi in omnem causam, et solutionem cuiusuis aeris alieni, a defuncto conflati, de suo quoque patrimonio, se expresse aut tacite obligauerint,

gauerit, vel lex civilis eam ipsi necessitatem *proxime* iniiciat. Fac enim, heredem ultra vires hereditatis creditoribus obstrictum putari. Ratio huius vinculi nulla alia suppetret, nisi voluntaria debitorum alienorum expromissio, ex facto aditionis collecta. At vero haec aditionis interpretatio non consentit cum verosimili intentione heredis, qui bona hereditaria non vt negotiorum gestor administrare, sed, spe lucri animatus, sua facere voluit, neque hereditatem ea mente, vt viam ad iacturam opum suarum sibi panderet, acquisiuit: repugnat legi hermeneuticae, cuius in actibus hominum obligatoris explicandis non exiguum pondus est, quod nemo suum abiicere et profundere voluisse censetur. Heres igitur nullo *inuentarii beneficio* naturaliter indiget: sed si, quicquid ad eum peruenit, creditoribus dimiserit, aut illis deinceps ex fide soluerit, et nihil superesse, iurata acceptorum enumeratione prolata asseruerit, neque, ab eo aliquid dolo malo celari, aut ab ignorante retineri, creditores probauerint, omnino liberatur. V.) Ratio acquisitae hereditatis prima est, voluntas defuncti legibus approbata. Haec vel *illimitata* est, et heredi sine exceptione omnia, nullo adiuncto onere, permittit: vel *limitata*, et rerum hereditariarum vniuersitatem cum exceptione, adiectoue onere, ei defert. Si onus, heredi a defuncto positum, legis civilis rationi non repugnat: heres *civiliter* obligatur, ad voluntatem eius, cui successit, religiose adimplendam. *Naturaliter* autem num *ex pacto successorio* tertio infcio, aut certe non acceptanti, ius nascatur, cui se datum facturumue heres pactitius defuncto, cui successit, promittere debuit? a quaestione principe pendet, quousque ex pacto duorum tertio ius acquiratur? et speciatim, quam vim tale pactum habeat, quo post mortem demum eius, cui promittitur, tertio aliquid praestari oportere conuenit? Certe vt testamentariam voluntatem et codicillos defuncti obseruet, nulla heredem ratio iuris cogentis naturalis obseruingit. VI.) Haec, quam terminauimus, heredis cum

ad ius  
cum alio  
pactum



defuncto exaequatio notam suppeditat, qua heredem ab eo, qui bona defuncti occupat singula aut vniuersa, internoscimus. Hic res corporales sibi proprias facit: contra ea debitis patrimonio cohaerentibus oneratur, (§. 2.) iurium autem defuncti in res et actiones aliorum hominum exors est, quae, posita occupatione, per mortem extingui ponitur. Huius occupationis quasi per vniuersitatem factae, (neque vero sententiae GROTII, in ciuitatibus occupata per vniuersitatem esse omnia, simpliciter contententis, neque eorum doctrinae, qui, ad espota intra Germaniae fines ignorari, confidenter affirmant, omni ex parte subscripserim) huic inquam occupationi affine exemplum praebet vsus forensis in successione fisci: quam et leges occupationem vocant, (a) et ipsa ratio, ob quam haec successio introducta est, docet, vti ab occupatione proprie dicta distet, (vt quae proprie sit rerum corporalium, non actionum) ita et inter eam et hereditatem multum interesse. Ex qua doctrina, a viris pragmaticis comprobata, (b) plura nascuntur consecraria, quorum in controuersis de modo succedendi, si bona sub diuerso fisco sint *sita* aut *constituta*, pondus non exiguum cernitur. Nam ex eo intelligitur, bona, in quibus fiscus succedit, in tot partes distrahi, quot subsunt iurisdictionibus, quae iure fisci fruuntur. Nec nomina excipimus, sed fisco loci, vbi petitionem fieri oportet, deberi putamus: quantumuis lecti Germani multis partibus plures, hac ratione commoti, quod a fisco, tanquam herede, defunctus repraesentetur, eadem foro domicilii attribuant.

§. V.

*Vnitatis heredis cum defuncto,*

Leges ciuitatum, quibus priuatum earum ius continentur, habent hoc inter se commune: vt obligationes et iurium naturalia variis modis temperent aut extendant, prout

(a) L. 5. C. de bon. vac. et L. 5. C. Theod. eod.

(b) BERGER. oecon. iur. II, 4. 46. MEYV'S ad iur. Lubec. II, 2. 14. 80

prout institutis et finibus, coetui cuique ciuili propriis, conuenire, aut analogia legum, antea semel intra eosdem fines approbatarum, postulare videtur. Cuiusmodi constitutiones, si iustitiae naturalis praeceptis e diametro non opponantur, tantum abest, vt pugnam iuris naturalis et ciuilibus generent, vt potius hoc robur suum vltimum ab illo mutuetur. Ita et leges Romanae naturalibus dictatis non refragantur, dum heredis et defuncti *isoperitas* omni heredi applicant, immediatus sit heres, an mediatu- (nam heres heredis heres testatoris est) (a), ita tamen, vt heredem ex certa re scriptum magis *legatarii loco* habeant, (b) licet in iis, quae a notione heredis diuelli nequeunt, attributis, aliisque affectionibus, e.g. *iure accrescendi, deducendi quartam*, pari potestate cum herede vniuersali fruatur. (c) Sequuntur autem naturalem iuris hereditarii mensuram Romani, cum non omnino, nec sine exceptione, heredis cum defuncto exaequationem praecipiunt: quamuis hanc affirmare videatur VLPPIANVS in L. 59. de R. I. inquit, *Heredem eiusdem potestatis iurisque esse, cuius fuit defunctus, constat.* Quod corroborat IULIANVS in L. 62. eod. *Hereditas nihil aliud est, quam successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit.* Atque IAVOLENVM idem tradere putes in L. 22. de *usurp. et usuc.* *Heres et hereditas tamen si duas appellationes recipiunt, vnius personae tamen vice funguntur.* Verum satis constat, ab his talibus regulis rigorem logicum saepenumero abesse. Quousque autem pateat illa, quae non obstante vnitate, vtrique iuri conformi, remanet diuersitas, in hac dimensione inter *naturalia et ciuilia praecepta* non parum interest. Quam differentiam ad III. capita reuocare licebit. Inquiremus breuiter 1.) in complexum iurium ad heredem trans-

quibus mo-  
mentis se-  
cundum ius  
Romanum  
absoluitur?

(a) L. fin. C. de hered. instit.

(b) L. 13. C. de her. inst.

(c) L. 41. §. fin. de V. et P. S. L. 59. §. 1. de hered. inst.



enuntium, 2.) debitorum onus, 3) confusionem et commixtionem patrimonii. De his singulis generatim tenendum est, subsistendum esse in unitate regulis naturalibus terminata, (§. 4.) donec legum civilium diuersa ab ipsis constitutio diserte probetur. Cuius enuntiationis duplex usus est: alter in explicatione iuris positui, vt in ambiguis procliuiiores simus ad eam interpretationem praeferendam, quae ad naturam propius accedit, alter in eodem supplendo, vt verbis legum, analogia, et vsu legitimo, defututi, ad naturalia praecepta recurramus.

## §. VI.

*Iura defuncti et heredis se-  
cundum leges Romanas non omnino exaequari.*

Atque, vt hinc ordiamur, non est par mensura iurium heredis et demortui; siquidem ex altera parte minus est in complexu iurium heredis quam defuncti, interdum cui succeditur, qui succedit, leges adiiciunt, quam ab eo, cui succeditur, proxime in heredem deriuari potuisset. Nam, vt per se intelligitur, ea iura, quae vel cum persona defuncti interierunt, vel ab hoc tamen pro arbitrio in quemcunque transferri non potuerunt, cum eius herede non communicari: ita nonnulla ob legum in publicam utilitatem prohibentium, aut conuentiones priuatas ambiguas interpretantium, auctoritatem, sub eo numero comprehenduntur, quae, si solam rationem naturalem spectes (§. 4.) eo referenda non videntur. (a) Exemplum dabit pactum de non petendo, quo non quidem ius accipiendi, sed agendi remittitur, cuius vis morte euanescit, veluti si pactum ita conceptum fuerit, *ne ego petam, vel ne a te petatur*, FLORENTINO iudice (b) heres promittentis petitionem habebit, et ab herede eius, cui promissum fuit, peti potest. Contra  
in

(a) Neque perpetuo in his definitionibus sibi constabant iurisprudentes Romani. Ita explorati iuris est, actionem furti heredibus dari, de quo olim dubitatum fuisse, discimus ex CICERONE *epist. lib. VII. ep. 22.*

(b) L. 57. §. 1. de pact.

in ea specie, cum tempus soluendi pretii pro re emta in arbitrium emtoris confertur, his verbis, *solves quandocunque voles*, nihil inter legem ciuilem et naturalem interesse, sed vtraque heredem, vt statim soluat, obstringi arbitror. Illa enim benignitate venditor defuncti personae fauere, neque in infinitum suo carere voluisse, censetur; cui plane non repugnat PAVLVS in L. 46. §. pen. et ult. de V. O. Ait Ictus, *Si ita stipulatus fuero, cum volueris, quidam inutilem esse stipulationem aiunt: alii ita inutilem, si antequam constituar, morieris: quod verum est. Illam autem stipulationem, si volueris dari, inutilem esse constat.* Recte enim stipulationem inutilem esse asseritur, cuius *essentia* plane ab arbitrio alterius suspenditur. Contra, stipulationis rite contractae implementum ad tempus, quale debitor commodum iudicaturus esset, differri, neque PAVLVS improbat, neque legum ratio prohibet. Similiter *precarium* morte soluitur per se, heredis autem, quamdiu non repetitur, patientia redintegrari censetur. Et hoc quidem innuit VLPIANVS in L. 8. §. I. de precar. cui proinde, hac explicatione admissa, POMPONIVS in L. 4. locati non aduersatur. Verum illud singulare est, heredem interdum potiori iure frui, quam quo defunctus fruiturus erat, si viueret. Nempe ea est legum ciuiliu prouidentia, vt tum non temere quemquam ignorantiae moraliter inuincibilis poenas dare patiantur; tum, quoad eius fieri potest, auertant, ne possessiones singulorum perpetuis vellicationibus exponantur. Hinc si vel incerta possessionum fluctuatio, vel quaestus actoris ex ignorantia rei inuincibili, metuitur, amplius heredi, quam defuncto, leges nostrae consulunt. Idcirco significanter PAVLVS in L. fin. de fidei. et nom. tut. *Sed constitutionibus*, inquit, *ignorantiae heredum subuentum est.* Ex quo efficitur, vt, si nec pupillorum amplissimus in iure fauor impediuit, quo minus ignorantia heredis subleuaretur, sane in aliis quoque casibus mitius cum herede, ob probabilem eius ignorantiam, agendum sit. Ita 1) rationes ab herede rationarii non

eodem rigore exigendae aut retractandae sunt, quem defunctus effugere non potuisset. Etenim si pleraque in rationibus administratoris iusta probaque appareant, merito colligimus, et reliqua leuiora, quae non satis liquido apparent, pari fide gesta esse: propterea quod credibilis est, defunctum absque reatu decessisse, quam falsa veris miscendo, viam honestatis aut accuratae diligentiae deseruisse. Quod tanto verius et aequius est, quo magis ille, cui rationes reddi oportebat, dolo fecit aut culpa, quo minus acceptorum et expensorum tabulae, dum defunctus viueret, dispungerentur. Proinde si quod damnum ex ignorantia heredum fecerit, sibi ipsi imputet. Ipsae leges statuunt, in *rationibus reip. retractandis* benigniorem esse oportere causam heredis, teste HERMOGENIANO, qui in *L. 13. §. 1. de div. temp. praescr.* ait: *Reipublicae rationes subscriptae et expunctae, aduersus eum quidem, qui administravit, ultra viginti, aduersus heredem vero ultra decem annos, retractari non possunt.* Similiter 2) dilatio actionis post mortem debitoris, nisi metus huius intercesserit, parit coniecturam malae causae, (c) rei exceptionibus fauentem. Porro in continuatione litis, a defuncto coeptae, inter huius et heredis iura non parum interest. In exemplum proponemus probationem per iurandum. De hoc quaeri potest, *anum iusiurandum de factis demortui conceptum, aut eidem a litigante, vel a iudice delatum, heres iurare cogatur?* Controuersiam dilucidius constituendam esse iudico. Si formula ita sit concepta, *quid heres de facto auctoris sui compertum habeat*, hic vtique tenetur. Sin simpliciter de facto alieno agatur, quaestionem secundum leges Romanas negari oportet: *iniquum enim est, inquit VLPIANVS in L. 11. §. 2. de act. rer. amot. de alieno facto alium iurare, et idcirco nec heres eius, qui quaeue amouisse dicetur, iurare cogetur.* Quae ratio commouit IUSTINIANVM  
vt

(c) Cum MENOCHIO *praes. L. 2. praes. 91. n. 7.* a LEYSER *med. spec. 260. m. 2.*



vt in *L. 12. C. de reb. cred. et iurei.* constitueret, appellatio-  
ne interposita iusiurandum, *non expectata licet ultima definitio-  
ne, praestari posse*, ne, interim, dum lis in superiori iudicio  
pendet, mortuo eo, qui iurare debuerat, probationes in-  
terciderent. β) Quaesitum est, num aduersarius heredis  
volentis iusiurandum admittere cogatur? Quam rem di-  
stinctione expediri oportere censeo. Nam si defunctus  
iusiurandum sibi delatum aut impositum (e. g. purgatori-  
um) recusauit: maiori heredem fide, in eruenda facti ali-  
eni veritate, pollere, quam defunctus suo ipfius testimonio  
de facto proprio haberi voluit, *analogia iuris ob L. 34. de iurei.*  
prohibet. Sin vel iusiurandum defunctus ante mortem  
nondum acceptauerit, neque iudex imposuerit, vel de-  
functus quidem acceptauerit, aduersarius autem ob illius  
mortem reuocet, ac, ne heres iuret, aliis probationibus vti  
velit: heredem eo vsque in iura defuncti succedere, vt  
dum de credulitate iurat, parem haec religiosa affirmatio  
cum defuncti dictis iuratis vim habeat, legum Romanarum  
tenori non consentaneum esse arbitror, a quo, ni fallor  
in primis iusiurandum suppletorium credulitatis longe ab-  
est. Amplius heredi consulunt iura Germanorum non  
scripta in quibusdam negotiis, quae ob difficultatem pro-  
bationis, et in florem commerciorum, maiorem aëtoris quam  
rei fauorem exigunt, e. g. cum fides codicis mercantilis  
adstruenda est. Amplius eidem consulunt iura Saxonica,  
quae ob interpretum auctoritatem, extra Saxoniam quoque,  
plerumque sequimur, a WERNHERO copiose dilucidata. (d)

§. VII.

Vnitatem iurium, de qua exponimus, in primis pro-  
dit successio in bonam malamque fidem demortui. Nempe  
inter *successorem vniuersalem et singularem* conuenit in eo:  
vt ad complendum vfucapionis tempus vtrique proficit au-  
toris possessio: certe post ANTONINI et SEVERI rescriptum.

Post

*Quousque  
heres in vi-  
tia et vir-  
tutes de-  
functi suc-  
cedat?*

(d) In *Diff. de iuramento heredis obs. forens.* tom. I. inserta.

Post hoc enim demum possessio venditoris et emtoris coniungi coepit in longi temporis praescriptione: quod deinde ad usufrucationem extendit IUSTINIANVS, qua quidem animaduersione non leui variarum in Digestis pugnae mederi licet. (a) Sed differunt etiamnum in qualitate possessionis, nempe bona malaue possessoris fide: cum coniunctio temporum inter emtorem et venditorem bonam vtriusque fidem exigat, sic vt vitiosa possessioni non possit accedere vlla alia, nec vitiosa ei, quae vitiosa non est, (b) etsi HOTTOMANNVS malam fidem emtoris usufrucationi ab auctore coeptae non intercedere, ex *L. vn. C. de usuc. transf. cog.* sed infelici conatu. Aliter de hereditatibus leges statuunt, tum antiquae, tum nouae. Testatissimum enim est, heredem non a sua persona usufrucationis exordium facere, si res a demortuo iam possessa, isque in conditione usufrucipiendi positus fuerit, (nam de ea specie, cum res a defuncto nondum possessa fuit, et demum heredi traditur, non loquimur) sed contra regulam, quae possessionem mortui

- (a) Locus classicus est §. 12. *I. de usuc.* cum quo confer. *L. 3. pr. et 2. D. de it. act. priv.* et quod ex ea colligere studuit OSIVS AVRELIUS de *varianae Cuiacii interpret. dispunct.* 46. Pugnam inter IULIANVM in *L. 32. §. 1. de S. P. V.* et PAVLVM in *L. 18. §. 1. quemad. seruo. amit.* hac obseruatione historica feliciter composueris, quam CUIACII ad *L. 4. §. 27. de usurp. et usuc. in rusticis praediiis* PAVLVM, in *urbanis IULIANVM*, sequentis, solutione. Alii *L. 32.* ita interpretantur, vt lectum de possessione aedium, quae non proxime ab auctore ad praesentem possessorem translata fuerit, sed cui medio tempore intercesserit alterius possessio, intelligant. At vero nihil tum singulare dixisset lectus. Nam de eo, ad usufrucationem libertatis non interruptam ab alio possessionem, non interpellatam, vt tibi vocatur, exigi, nulla tum erat dubitatio.
- (b) *L. 13. §. 11. 12. 13. de acq. vel amit. possess.*

mortui ad viuum transire non patitur, metiendum esse ius heredis ex iure vsucapiendi, quod habuit defunctus, ita, vt quod hic ob malam bonamue fidem vel vsucapere non potuerit, vel vsucapiendi fecerit initium, illud ab herede vsucapionis iure aut acquiratur aut non acquiratur, seu hic sciat, rem se alienam possidere, seu ignoret. Quamuis IANVS a COSTA, iure antiquo rerum *mobilium* vsucapionem mala fide heredis interruptam fuisse, arbitretur, (c) quasi veteres censuissent, rem furtiuum videri, quam quis contra domini voluntatem contrectaret: (d) non confirmat tamen hanc sententiam *L. fin. C. unde vi*, ad quam pro-uocat. E contrario tum actio *publiciana* datur heredi eius, qui bona fide emit, licet ille sciat, rem a non domino venditam fuisse: (e) tum aliae leges antiquae non discernunt res mobiles ab immobilibus: in vtrisque *continuum possessionem*, (h. e. cui alterius cuiusdam possessio non sit interposita) in neutra *continuum bonam fidem*, postulant. (f) Rationem vero, cur hic solam defuncti fidem intueamur, non difficulter intellexeris. Differunt etiamnum post *L. vii. C. de vsuc. transform. vsucapio* et *longi temporis praescriptio*, differunt quoque in eo, quod multa longo tempore praescribantur absque bona fide, cum contra in vsucapionibus *rerum* (non *hominum* seu *feruorum*, quorum vindicatio continua demum bona fide possidentis repellitur) (g) in *rum*

(c) a. d. §. 12. *I. de vsuc.* Refellit ipsum SCHVLTING. *iuris-pr. anteiust.* p. 623. et in verbis PAVLI in *L. 31. §. 1. de vsurp. et vsuc.* emblema TRIBONIANI CUM EDM. MERRILLIO deprehendit.

(d) Laudat. *L. 1. de distr. pig.* et *L. 47. de acq. vel am. poss.*

(e) *L. 7. §. 17. de publ. in rem act.*

(f) *L. 48. §. 1. de acqu. rer. dom. L. 2. §. 19. pro emtore.*

(g) *L. pen. pr. pro suo.* cum qua confer PAPINIANVM in *L. 44. §. 2. de vsurp.*

rum, inquam, usucapionibus spectetur, num ab initio possessionis sciueris, esse rem alienam, an ignoraueris, superueniens bona malaue fides nec proffit, neque officiat. (b) Defunctus in herede, tanquam in propagine sua, quasi renasci, et per hunc iura sua continuare, videtur. Quare, quamuis SCAEVOLA in L. 14. pr. de div. temp. praes. tradat, de accessionibus possessionum nihil in perpetuum, neque generaliter definire possumus, consistunt enim in sola aequitate: tamen recte, et analogiae iuris conuenienter, subiecit, heredibus enim, et his, qui successorum loco habentur, datur accessio testatoris. Rationem dilucidius explicat immortalis PAPINIANVS in L. 11. eod. vbi, Cum heres, ait, in ius omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit, veluti cum sciens alienum illum, illo, vel precario possedit. Quamuis enim precarium heredem ignorantem non teneat, nec interdicto recte conueniatur: tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit. Idem iuris est, cum de longa possessione quaeritur. Neque enim recte defenditur, cum exordium ei bonae fidei ratio non iucatur. Et idem sibi vult L. 43. de usurp. et usucap. in qua pro continuatione, quod habet Hetrusca, rectius cum HALOANDRO leges continuatio. Haec de usucapionibus. Aliter de praescriptionibus longissimi temporis constituerunt Romani. Ne incertis rerum dominiis iactaretur respublica: visum est, longissimi temporis possessione, etiam absque bona fide, res acquiri, et petitiones alterius extingui, posse, ita vt nec heredi mala fides auctoris obsit. (c)

§. VIII.

Debita pecuniaria, ex factis licitis orta,

Progredimur ad obligationes veras, quibus defunctum, si mors non intercessisset, ipsum satisfacere oportuerat, indagaturi, quousque morte non intereant, sed in persona here-

(b) L. vii. C. de usuc. transf. Nam ab acquisitionibus fructuum ad usucapionem substantiarum frugiferarum colligere non licet. De illis v. L. 48. §. 1. de acq. rer. dom.

(c) L. 3. et 4. C. de praes. 30. vel 40. annor.

heredis perpetuari, et veluti spirare, censeantur. Quousque vero ista, in qua nunc versamur, *isornia* pateat, facilius extricabitur: si diuerfos, ex quibus istiusmodi debita manant, fontes seorsum consideraueris. Aliorum perpetuitatem reipublicae, et in ea interdum ecclesiae, ratio praecipue postulare visa est: aliorum transitionem ad heredes fides priuata, tanquam commerciorum alma mater, quies singulorum, et iustitia naturalis, exigunt. (§. 3.) De illis exemplum suppeditat *vetus ius Romanorum pontificium*, quo *facrorum onus* ab hereditate diuelli nefas erat. (a) Ad posteriorem speciem pertinent debita, quae *ex contractibus, quasi ex contractibus, variisque causarum figuris*, profluunt, et vel

quousque  
heredem se-  
cundum le-  
ges Roma-  
nas se-  
quantur d

(a) Ne *sacra priuata* sumtuum causa interciderent: pontifices illa cum pecunia ita coniunxerunt: vt in primis ab hereditate non diuellerentur. Locus classicus est CICERONIS L. 2. de legibus c. 19. 20. et 21. Cuiusmodi sacra cum non sine dispendio eius, ad quem alterius pecuniae peruenissent, alerentur: factum est, vt lautum quodque et luculentum, damni que expers, *hereditas sine sacris* prouerbio vocaretur. PLAVTUS in *trinum. act. 2. sc. 4. v. 83*. Hinc quaesiti obtentus, quibus hoc se onere heres leuaret. Huc pertinent verba CICERONIS, quae admodum sollicitant interpretes, *pro MVRÆNA c. 12. Istorum ingenio senes ad coemtionem faciendas interimentorum facrorum causa reperi sunt*. Varias explanatorum coniecturas collegit GRONOV. de *pec. vet. IV, 7*. Forte res hoc modo se habuit: vt heredes, sarcinam sibi non legibus, sed iure pontificio impositam, abiecerunt, sibi pauperiori, forte seruo, vendiderint hereditatem cum sacris, interposita fiducia remancipandi absque adiunctis sacris, et huic necessarios ad ea sumtus, dum viueret, subministrarint: quo mortuo, et quidem, quod egenus esset, absque herede, sacra interire necesse erat.

vel eo animo contrahuntur, vt transmittantur, vel certe a defuncto saluis legibus transmitti potuerunt. Haec heredem sequuntur (v. *notabile rescriptum Imp. GORDIANI* in *L. 10. C. loc.*) et, si res diuisionem non recipiat, *veluti via*, singulos heredes *in solidum*, salua repetitione *per familias exciscundae iudicium*, teste PAVLO in *L. 2. §. 2. de V. O.* Vna vnus secundum has leges, non multiplex, est hereditas, (contra quam Germanis placuit v. §. 19.) vel, vt PAPINIAN. in *L. 30. de excus.* inquit, *vnus duo patrimonia non videntur*. Cui consequens est, vt hoc iure aes alienum non separatis quibusdam hereditatis corporibus cohaereat, sed toti hereditati: ideoque aduersus singulos heredes pro rata creditores experiantur, etsi vnus heres solidi solutionem pacto receperit, vel testator in supremis tabulis, aut pacto, eam vni soli iniunxerit *L. 56. §. 1. de V. O. L. 26. C. de pact.* Transeunt obligationes in heredem non minus iuratae, quam iniuratae. Nam licet periurii poena in heredem non transfundatur: iureiurando tamen defuncti ad fidem eius implendam obstringitur: dummodo hanc praestare oportuit defunctum, quia vis iurisiurandi ex promisso, cui accessit aestimanda est, repudiata H. GROTIJ *distinctione*, (b) et BODINI doctrina, quorum hic ex confusa notione sua de vi iurisiurandi, foedera iurata personas stipulantium non egredi, collegit. (c) Neque in hac obligationum transmissione generatim interest, in factum fuerint conceptae, an de dando agatur. Factum, quod *nudum* vulgo vocatur, heres quidem facere non cogitur: tum quia eius promissor ipse praestando id, quod interest, liberatur, *L. 13. de re iud.* tum quod per facti promissionem quaedam libertatis particula perit, quam promissor sibi eripere potuit, et conventionem eripuit, heredi non potuit. Sed ab *implemento facti qualificati*, quod vocant, heres non est immunis: partim quod ita tacite conuenerunt contrahentes, vt fides, quae fato

prohi-

(b) De *I. B. et P. II*, 13, 17.

(c) De *rep. L. 5. c. ult.*



prohibente impleri non potuerit, ab herede praestetur, partim quia leges hoc officium ab unitate semel constituta non exceperunt. Quare cum quaeritur, num promissa seruitus a coheredibus, qui in communione fundi manserunt, constituenda sit? analogiae iuris omnino consentaneum est, coheredes utique teneri. Ut enim *L. 2. de serv.* a contrariae sententiae fautoribus cum *L. 34. de S. P. V.* excitari soleat: facile tamen intelligitur, a limitata focii facultate, seruitutem in re communi promittendi, ad implementum promissi a defuncto facti non valere collectionem. Si heredes eius tantummodo, qui seruitutem promisit, licet fundum non haberet, aestimatione litis soluta liberantur: *L. 25. §. 10. fam. erisc.* quid est, cur, contra ius a natura constitutum, heredem, qui fundum possidet, eo, quod interest, praestito absolendum esse censeamus. Sunt vero quaedam obligationes, quibus heredem, licet unitas naturalis deuinciat, lex civilis tamen eximit: cuiusmodi exemplum in *L. 35. et 59. pro socio, (d)* et *L. 9. §. pen. et ult. de pollicit.* inueneris. Addimus ius singulare heredis, qui *beneficium inuentarii* amplexus est, in *L. 22. §. 8. C. de iur. del. proditum*: ut creditoribus et legatariis vrgentibus soluturus, rem, hypothecae a defuncto subiectam, absque *stellionatus crimine*, et euictionis metu, vendat, et emtor a petitione ereditoris hypothecarii securus praestetur, salua huic aduersus creditores posteriores et legatarios, quibus solum est, actione. Quo iure emtor vtetur, etsi instrumentum venditionis non diserte cautum sit, *dass die Kauffgelder zu Abführung der Vermächtnisse oder Erbschaftsschulden verwandt worden.* Non nocet tamen hanc formulam inseruisse, et interdum expedit.

§. IX.

Factorum illicitorum alia reipublicae formam dissiunt, et recta imperantes aut magistratus laedunt: alia singulorum

*Obligatio-  
nes ex fa-  
ctis illicitis,*

(d) Qua de re eleganter exposuit IAC. CUIACIUS *obs.* 10, 25.



*extra con-  
tractus ad-  
missis, in-  
primis cri-  
minibus, or-  
tae, quous-  
que in here-  
des trans-  
mittantur?  
L. 20. de  
accus. ex-  
plicata.*

rum iura violant, et per singulos vniuersum ciuicatis con-  
centum offendunt. Postremum dupliciter euenit, vel vt  
taliū facinorum impunitas prima coetus ciuilis flamina  
abrumpat, vel vti ista, ad euertendam securitatem et felici-  
tatem publicam, vim remotiorem habere censeatur. Illa  
pariter atque ista, secundum leges Romanas, ciuem rei-  
publicae satisfacere cogunt: haec actionem vel ad *restitutio-  
nem ablati*, vel ad *satisfactionem*, si quid corruptum con-  
sumtumue restitui nequeat, vel ad *poenam* priuatam, laeso  
pariunt. In his molestis male actorum consecrariis mani-  
festa cernitur vnitatis inter heredem et defunctum laxitas.  
Quatenus poenae criminibus propositae *caput et libertatem  
facinorosi* feriunt: huius personam vt egrediantur, finis poe-  
narum non patitur. Quatenus autem *crimen publicum*, et ex-  
traordinarium, multa aut publicatione bonorum coercen-  
dum est: reo post *litem contestatam*, h. e. vt hodie interpreta-  
mur, (cognitione per inquisitionem in locum veteris accusa-  
tionis plerumque substituta) post responsonem ad articulos  
inquisitionis, *ante condemnationem*, extincto, leges Romanae he-  
redem, ob scelus alienum, bonis hereditariis non exuunt, nec  
multam soluere cogunt, nisi in quibusdam delictis publicis,  
nominatim exceptis, et ob *L. pen. C. si reus*, ita tamen, vt si  
caussa per sententiam fuerit decisa, et haec *poenam pecuniariam*  
directe inflixerit, appellatione autem interposita condemna-  
tus moriatur, confirmatione sententiae secuta, heres omnino  
teneri videatur, ob *L. fin. C. si reus vel accus. L. 3. si pend. ap-  
pell.* Audiamus PAVLVM in *L. 20. de accus. Ex iudiciorum*,  
inquit, *publicorum admissis non alias transeunt aduersus heredes  
poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata, et condem-  
natio fuerit secuta: excepto repetundarum et maiestatis iudicio,*  
*quae etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exer-  
ceri placuit, vt bona eorum fisco vindicentur: adeo vt Diuus SE-  
VERVS et ANTONINVS rescripserint, ex quo quis aliquod ex his  
caussis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare aut manu-  
mittere eum posse. Ex ceteris vero delictis poena incipere ab he-*

rede





rede ita demum potest, si vino reo accusatio mota est, licet non fuit  
 condemnatio secuta. add. L. f. ad l. lul. pec. Crimini maiestatis  
 deinceps, quantum ad extensionem poenae ultra mortem,  
 parem esse culpam haereticos L. 4. C. de haer. sunxit, Manichaeo-  
 rum nempe, Donatistarum, Appollinaristarum L. 8. C. eod. apostata-  
 tarum L. 4. C. apost. Caeterum verba postrema L. 20. de delictis  
 priuatis interpretamur, subnixi auctoritate MARCIANI in L. 6.  
 de publ. ind. et MACRI in L. 15. §. 3. ad Sct. Turpil. Neque  
 nos sollicitat accusationis vocabulum, quod saepius actionem  
 significat, ex delicto ortam, vti in L. 39. et 47. sol. matrim.  
 et similibus. Rationem differentiae in eo ponimus, quod  
 illorum pecuniariae coercitiones ad indemnitatem, vindi-  
 ctamque laesorum explendam facerent: in publicis autem  
 animaduersionibus Romani lenitatis gloria censerent vellent,  
 et cum harum finis esset, vel emendatio delinquentis, vel  
 aliorum territio, illam mors intercepisset, hanc iacturae  
 heredis non magnopere intendere viderentur. Accedit et  
 hoc, quod in priuatis delictis per L. C. quasi contrahitur cum  
 laesis. Sed, cum de sceleribus vindicandis agitur, fiscus, qui,  
 vltionem disciplinae publicae laesae exacturus, nec lucrum  
 captat, nec ad indemnitatem obtinendam experitur, cum reo  
 per procuratorem quasi non contrahit. Igitur heredi partem  
 patrimonii, aut illud vniuersum, ob defuncti crimen in-  
 tercipi, non est consecrarium L. C. sed condemnationis.  
 Quare MEVIO (a) non suffragamur, qui perpetuum esse  
 contendit, vt, poenae pecuniariae ab herede repetantur, si  
 defunctus litem contestatus sit, atque ante sententiam natu-  
 rae debitum reddiderit, seu delicto publico constitutae  
 sint, seu priuato. Rectius Ibi Wutbergenfer, (b) sumtus  
 inquisitionis ab herede solui oportere, negant, si, antequam  
 causa per sententiam decideretur, reus decesserit. Sunt  
 tamen quaedam delicta, aduersus rempublicam directe aut

εμμε-

(a) Part. 5. Dec. 392.

(b) Teste WERNHERO obs. forens. part. 5. obseru. 101.



equitros admissa, quorum poenam heres sentit, etsi inquisitio aduersus delinquentem nondum mota aut finita fuerit, nempe de quibus diserte constitutum est, ut ab eo, quo perpetrentur momento, non expectata cognitione aut inquisitione, nedum iudicis sententia, ipso iure, vel actio quaedam intereat, vel pars quaedam bonorum committatur. Illa semel extincta hereditatem augere nequit: haec, veluti statim de vniuersa hereditate decerpta, ad heredem, tanquam res significatu iuris aliena, transferri non potuit. Quo pertinet crimen *fraudati vestigalis*, cui vicinum est id, quod indignis a fisco aufertur. Res commissae statim domini esse desinunt, et ad earum perfectionem datur in rem actio, qua ut quilibet possessor tenetur, ita aduersus heredem quoque experiri licet. *L. 8. et 14. de public. L. 22. ad Sct. Silan. L. 9. de iure fisci.* Similiter heres eius, qui ius iniuquum statuit vel impetrauit, idem pati debet, quod deberet defunctus; statim enim, quo aduersus edictum praetoris, quod quisque iuris cet. peccatur, iura, quae habebat defunctus, quaeque postea acquisiuit, afficiuntur vitio, et infecta ad heredem transmittuntur. *L. 3. §. pen. quod quisque iur.* Heredi quoque eius, qui sibi ipsi ius contra leges dixit, exceptio decreti a *Diuo Marco facti*, et *L. 7. C. unde vi* recte obicitur. Ipso enim iure creditum per vim priuatam amitti, tum in *L. 13. quod met. causa* et *L. 7. ad L. Iul. de vi priuata* (contra *L. 1. §. 9. C. de vet. iur. enucl.* hae leges *similes* in codicem legum Romanarum immigrarunt) verba decreti: *ius crediti non habebit*, tum *L. 12. §. 2. quod met. causa* confirmant, quemadmodum et ille creditum ipso iure perdit, qui cadauer debitoris vexauit. *Nov. 60. c. 1.*

## §. X.

Quousque  
ad dam-  
num deli-  
ctis datum  
persequen-

Ex delictis priuatis actiones nasci poenales, et rei persecutorias, explorati iuris est. Romani, gens origine ferrox, sub Regibus quoque libertatis tenacior, eiusque per longam consulum feriem, vsquedum principatus adoleuisset, acrior vindex, poenas delictis quibusdam constitutas priua-

priuatis, qui per ea laesi essent, dependi et hoc modo in-  
 litae vindicatae cupiditati in primis in ciuitate recens con-  
 dita, et deinceps *Graecorum* institutis formata, efficaci per  
 iudicem satisfieri, quam ex arbitrariis auarisque priuata-  
 rum iniuriarum castigationibus fisco vel aerario praedam  
 inferri maluerunt. Haec *actionum poenaliu* origo, hic pro-  
 gressus. Duplex harum genus est. Aliae origine et in-  
 stitutione sua ab *omni rei persecutione* plane absunt, et huic  
 opponuntur, (vt actio furti) aliae contra eo tendunt, vt  
 praeter simplicem damni aestimationem, aliquid amplius  
 auctori soluatur, quam ipsi vere abest, licet ex accidenti fi-  
 ri posset, vt nihil nisi id, quod sibi vere demtum est, re-  
 petat; (e.g. actio *L. Aquil.*) His postremis praesertim ac-  
 cendendae sunt, quibus damnum vindicatur, ex quo, nul-  
 lum is quaestum fecit, qui dedit. Actiones rei persecu-  
 toriae, ex delicto, *quo delinquens locupletior factus*, ortae, et  
 ad veram damni dati aestimationem consequendam com-  
 paratae in *solidum* aduersus heredes dari arbitror, licet ad  
 hos nihil ex eo delicto peruenerit: quod tum aequitas na-  
 turalis, (§. 4.) tum *arg. ex L. 9. de condict. furt.* nos existimare  
 cogunt, (a) Actiones autem, quibus non indemnitas,  
 sed solummodo poena auctori applicanda petitur, extra  
 quam si nouatio per *L. C. intercesserit, L. 26. de obl. et act.*  
 ad heredes, vltra id, quod ad eos ex delicto peruenerit, non  
 transmitti, dubio caret, §. 1. *I. de perp. et temp. act. turpia*  
*vero lucra heredibus extorqueri, licet crimina morte extinguantur,*  
*teste VLPIANO in L. 5. de calumn. constitutum est.* Delicta  
 denique et quasi delicta, quibus damnum infertur, absque  
 eius, qui alteri nocuit, compendio, gignunt actiones,  
 quae licet ex parte auctoris sint *rei persecutoriae*, a parte rei  
 tamen

*dum ad-  
 uersus he-  
 redem de-  
 tur actio?*  
*lectio L.*  
*13. de ser-  
 uo corrupt.*  
*defensa.*

(a) Cum ARN. VINNIO ad §. 1. *I. de perp. et temp. act.* hoc  
 pererudite confirmauit III. AVERER de *act. ex delicto rei*  
*persecut. aduersus heredes delinquentis in solidum compe-*  
*tentibus* D



tamen *poenales* censentur, inprimis cum factum ultra indemnitate mensuram coercent. Neque hae, ultra id, quod ex istiusmodi facinoribus ad heredem peruenit, in eum dantur, licet continuari possint, si iam defunctus iudicium acceperit. Exempla dabunt variae *stricti iuris* actiones, et *arbitrarie*, *actio contra mensorem*, qui *dolo falsum modum dixit* L. 1. §. fin. de eo per quem fact. erit, quo min. quis in iud. L. 9. §. 1. quod fals. tut. L. pen. de nov. op. nuntiat. L. 22. §. fin. Unde lib. L. 52. de R. V. *Actio quadrupedaria*, quae adversus heredes quoque datur, L. 1. §. fin. si quadr. paup. temere nobis obuertitur. Neque enim illa ex vero aut quasi delicto oritur, nec dolum, nec culpam domini punit, sed ad extraordinariam obligationum causam referenda est, licet vulgo in alia omnia eatur. Quibus constitutis proclivior sum, ut in verbis *VLPiani* L. 13. pr. de serv. corrupt. haec actio — in heredem non dabitur, quia poenalis est: nihil mutandum, nec cum *BYNCKERSHOECKIO* (b) pro quia, legendum esse qua, existimem. Nam licet actor, qui serui sui animum alterius iniuria corruptum esse queritur, rem persequatur, quatenus id, quod sibi, pretio serui per mores deteriores, diminuto abest, rependi postulat: poenalis tamen actio est ex parte rei, de cuius heredibus hic quaeritur: tum quia nullum corruptor ex improbitate sua questum fecit, seruum malis artibus imbuendo, tum quia haec actio simul ad id tendit, vt aliquid amplius, quam verum serui pretium, a reo solvatur. Neque sententiam nostram conuellit §. 9. I. de L. Aquil. vt cuius postremis ex verbis: constat in heredem eam actionem non transire, quae transirena fuisset, si ultra damnum nunquam lis aestimaretur, non conuicitur, quoties actio ex maleficio orta ultra verum damnum nihil persequitur, toties eam in heredem transmitti, et act. L. Aquil. excipi, quia ultra simplum, pretium, quod retro maximum fuerit, et sic poena petatur. Exemplis enim allatis alia omnia doce-

(b) Obs. L. 1. c. 13, et L. 7. c. 25.

docemur. His adiungimus *L. 9. de relig.* Ait GAIUS: *mirari sese, quare constare videatur, neque heredi, neque in heredem dandum esse hanc actionem* (nempe eius, qui prohibetur, mortuum ossaue mortui inferre) quia *ut appareat, pecuniariae quantitatis ratio in eam deducatur.* Cum CUIACIO facit G. NOODTIUS, (c) et in hac veterum sententia exemplum haberi *Legis 20. non omnium de LL.* ingenue fatetur. GIPIANO contra ad *L. vn. C. ex del. def.* negare GAIUS, et ipso mirandi verbo hanc, quam recensuerit sententiam, reprehendere videtur. Verum prohibita mortui illatio *sepulcri violati iudicio, quod populare erat, L. 8. de sep. viol.* comprehenditur, videtur, cuiusmodi actiones in heredem non dabantur *L. pen. de pop. act.* Praeterea licet haec actio id quod actoris interest, *illationem prohibitam non fuisse persequatur.* Veteres tamen Icti analogiam receptorum sententiarum fecuturi, ipsam ex origine sua aestimasse, verosimile est, qua ad vindicandam iniuriam, *ob violatum ad aduersario interdictum de mortuo inferendo* tendebat: *L. 3. §. 8. L. 6. et 10. de sep. viol.* et damnum ei qui dederat, non proficuum persequeretur, in quo rependendo benignior heredi causa esset. Fatendum est, in his indemnitate petitionibus Romanos vulgato illo, *poenas delictorum solos manere auctores* strictius inhaerere, quam patitur aequitas, (§. 4.) dum sic *ne heredi lucrum aduentitium* opimus intercipiatur, ei, quem damno defunctus affecit, suo carendum sit. At vero forte ideo quoque heredi fauent, quod, *nondum introducto inuentarii beneficio*, iniquius iudicarent, in alieni illum peccati poenas de suo interdum luere cogi.

## §. XI.

Damnum, quod defunctus *aduersus fidem contractus b. f. dolo* aut culpa dedit, heredem simpliciter et in solidum rependere oportere, contra in *negotiis stricti iuris* non aliter, quam stipulatione nominatim interposita, *dolum malum ab-*

*Si contracti et aduersus obligationes*

D 2

esse,

(c) in *Comment. ad d. tit. de mort. inf. p. 271.*



quasi ex  
contractu  
natas per  
dolum aut  
culpam aut  
functus  
damnum  
dederit,  
quousque  
heres illud  
soluere co-  
gatur? L.  
4. de mag.  
conv. ex-  
plicata.

esse, eaque omissa, non ultra id, quod ad ipsum ex dolo peruenisset, soluere cogi; magna est legum in Digestis consensus, v. L. 121. §. fin. de V. O. iuncta L. 17. §. ult. L. 26. de dolo. Quamobrem limitanda est L. 44. de R. I. Totiens in heredem damus de eo, quod ad eum peruenit, quotiens ex dolo defuncti conuenitur, non quotiens ex sua. Neque enim apparet, saeculo III. et seq. id quod de herede ex delicto aut quasi maleficio defuncti non in solidum conueniendo, aut quasi ex contractu natarum violationem, generatim prolatam fuisse, extra pauculas dumtaxat exceptiones legibus diserte expressas. Harum exemplum suppeditat PAVLVS in L. ult. §. 1. de fidei. et nom. et hered. tut. qui cum initio legis ius vetus exposuisset, (quod iam in L. 49. de obl. et act. memorauerat) mox recens constitutum subiecit. Est enim haec lex ex posterioribus PAVLI libris de prompta, quos responsa in heredem tutoris transferri oportere, quale defunctus suscepit. Hoc eo pertinet, ut non excusetur heres, si dicat, se instrumenta tutelaria non inuenisse. Nam cum ex omnibus bona fide iudicii propter dolum defuncti heres teneatur, idem puto obseruandum et in tutelae actione. Sed constitutionibus subuentum est ignorantiae heredum, hoc tamen tunc obseruandum est, cum post mortem tutoris heres conueniatur, non si lite contestata tutor decesserit. Nam litis contestatione et poenales actiones transmittuntur ab utraque parte, et temporales perpetuantur. Tenetur igitur heres ex dolo et et culpa dolo proxima defuncti, non autem ex leui eius culpa, quod a SEVERO et ANTONINO introductum L. 1. C. de hered. tut. tradit, in qua negationem: non latae cul-pae: omittunt Basilici, et delendam censuit CVIACIVS, (a) quem sequitur GIPHANIUS ad L. 44. de oblig. et act. sed ille se ipsum postea reuocauit. (b) Affinem huic exceptionem continet L. 4. de mag. conv. in qua sic VLPIANVS: Non similiter tenen-

(a) Lib. 13, obs. 39.

(b) Lib. 21, obs. 2.

tenentur heredes magistratuum, ut ipsi tenentur; nam nec heres tutoris negligentiae nomine tenetur. Nam magistratus quidem in omne periculum succedit, heres ipsius dolo proxima culpa succedaneus est. Non est, cur per culpam dolo proximam intelligatur leuis (c) et sic colligatur, magistratus heredes ex dolo et culpa lata non teneri, leuem vero eosdem praestare oportere. Nam cum excusatus peccet, qui boni patrisfamilias officium neglexit, quam ille, qui foecordia ad dolum propius accedente nocuit: quid est, cur heres minorem culpam luat, maiori liberetur? Praeterea tum alia VLPIANI loca probant, culpa dolo proxima nomine latam ipsi venire: (d) tum constitutio ALEXANDRI Imp. in L. 2. C. de mag. conv. pondus nostrae interpretationi addit, in cuius verbis: non latae culpa: negationem delendam esse, absque ratione censuit CVIACIVS, (e) sed deinde sententiam mutavit. (f)

§. XII.

Hereditatem iacentem foro defuncti subesse, aduersus heredem quoque, tanquam possessorem, apud eundem iudicem, coram quo defunctus conueniri potuit, actiones reales, mixtas, in rem scriptas, recte moueri, non ambigitur. L. 27. §. 1. et L. 42. de R. V. L. 14. de publ. Num autem heres in domicilium defuncti succedat? magna est controuersia. Praeter BRVNEMANNVM, (a) qui actiones in domicilio demortui, aduersus heredem iure institui censet, ipse G. NOODTIUS (b) ex L. 19. L. 34. et L. 45. de iud. heredem a creditoribus hereditariis in domicilio defuncti, si istuc repariatur, defendi et conueniri debere, contendit, addita ratione: an habeat causam, cur declinet eius forum, et malit suum? Non habet, si nullo suo proprio priuilegio excusetur. Cui

Quousque heres forum defuncti contumare cogatur? Ex L. 19. de iud. peculiare domus mortuariae forum temere colligi.

doctri-

(c) Quae est doctrina I. VOET. ad L. 27. D. tit. 7. §. 5.

(d) L. 47. §. pen. de leg. 1. L. 22. §. 3. ad Sct. Trebell.

(e) Lib. 13. obs. 2. (f) Lib. 21. obs. 2.

(a) In Comment ad L. vn. C. ubi de hered. ag.

(b) In Comment. ad D. tit. de iud. p. m. 153.



doctrinae admodum fauere videtur dicta L. 19. pr. quae sic habet, *Heres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, et conueniendus si ibi inueniatur, nulloque suo proprio priuilegio excusatur.* Verum vti L. 34. de ea specie loquitur, cum *defunctus iudicium accepit, L. 45. autem de foro contractus* statuat, analogia iuris suadet, L. 19. nos itidem hoc modo interpretari, vt *heres in foro contractus defuncti, si istic reperitur,* conueniri possit, non autem coram iudice domicilii, quod defunctus habuit. Nam cum forum domicilii ex *consensu* oriatur, in aditione autem hereditatis non insit signum indubium, heredem in causis ad hereditatem pertinentibus, id quod defunctus habuit, forum, suo abdicato voluisse: sequitur, vt praeter actiones in *foro rei sitae* admittendas, vel in *foro proprii domicilii,* vel plures coheredes in *foro omnibus communi,* non autem coram iudice domicilii, quod quondam defunctus agnouit, conueniri debeat, nisi legibus aliter statuatur. Non expresse autem statuit d. L. 19. cui consequens est, vt secundum analogiam intelligenda sit, adeoque si non ad *speciem litis a defuncto contestatae,* certe ad *forum contractus* restringi debeat, contra forum quoddam singulare ad *domum mortuariam restrictum,* in illa l. non stabiliatur. Ipsa exceptione, *si heres ibi inueniatur,* sit verosimilius, *forum contractus* in d. L. indicari: in hoc enim absentem non simpliciter, sed eum, qui bona *istice sita* habeat, in quae actor mitti possit, caeteroquin *praesentem tantum.* conueniri posse, non obscure ipsa L. 19. prodit, et *analogia iuris,* quae in iudiciis *facilitatem cognitionis et executionis* maxime spectari iubet, confirmare videtur. Quamobrem verissima est Ill. PVFENDORFFII (c) sententia, qui *missionem in bona hereditaria ex ed. D. Hadr. toll.* si a solo *iudice rei sitae* petendam esse negaueris, quae multorum est sententia, non in *domicilio defuncti,* sed vel in *foro hereditatis communi,* vel in *proprio heredis domicilio,* petendam esse arbitrat. §. XIII.



S. XIII.

Restat vt speciatim vnitatem inter defunctum et heredem cui hereditas non est legitime ablata. v. L. 22. C. de inoff. test. spectemus, quae in commixtione patrimoniorum et confusione actionum ponitur. Commiscetur vtriusque patrimonium, ita vt diuisio domini directi atque vtilis, seruitutes reales et personales tollantur. Confunduntur iura et obligationes mutuae, ac si quis non solus heres sit, pro ea duntaxat parte, qua coheres est L. 1. C. de her. act. hunc in modum, vt secundum PAVLVM in L. 71. de fidei. confusione obligationis eximatur persona. Plurimum hac in re differt ius antiquum ab illis, quae supra recensuimus, vnitatis effectis naturalibus. Secundum illud enim haec tam late patuit, vt 1) heres ultra hereditatis vires creditoribus simpliciter satisfacere cogere, et culpam improvidae aditionis, suo ipsius impendio, lueret, L. de acq. vel amit. her. vtque 2) si posterioribus creditoribus soluisset, prioribus adhuc teneretur, 3) multo minus heres directus, si quid sibi debuisset demortuus, detrahere, et reliquum abdicare posset. L. 75. et 95. §. 2. de sol. et liber. L. 75. de fidei. Dixi directus. Nam fiduciarii iura, quod fideicommissarium, restituta hereditate ex Scto Treb. quasi reuiuiscunt L. 150. ad Sct. Treb. L. 6. et 8. C. ad L. Falc. isque ob id, quod sibi debetur, aduersus hunc experiri, aut debitum deducere potest, perinde vt aduersus emtorem hereditatis saluae sunt petitiones venditoris, et seruitutes aditione confusae restituntur: ne in negotio b. f. damno afficiatur. L. 2. §. 18. seq. de her. vel act. vend. Deinde 4) sumtus in funus eius, cui successit, testamentorum aperturam lites hereditarias, factos de facultatibus demortui deducere prohibetur. Denique 5) qui defuncto credidit, pari cum creditoribus heredis iure censetur, et suum quisque ordinem in commixto nunc patrimonio seruat. Quod vtrarumque facultatum coagulum, cum non posset non quampluribus hereditatem coruorum deceptorum ritu adeuntibus, damnum afferre suis beneficio abstinendi, minorum imprudentiae data restitutione

De confusione per aditionem hereditatis facta. Quousque beneficium inuentarii vnitatem heredis et demortui relaxet?



tutione in integrum aduersus praecipitem aditionem, consuli oportuit, *L. 24. §. 2. de minor. heredi tempus ad deliberandum praetor dedit, cuidam maiori 25 annis speciali beneficio* HADRIANVS, denique militibus vniuersis, GORDIANVS ius dedit, hereditatem aditam repudiandi §. 6. *I. de her. qual. ee diff.* quod IUSTINIANVS extendit, vt illi vltra hereditatis aestimationem non teneantur, etsi repertorium concinnare neglexerint, quod eorum ius singulare *Nov. 1. c. 4.* non aboleuit; agit enim de *amissione falcidiae*. Non poterat his se liberare incommodis, adeundo hereditatem cum protestatione, neque ex *L. 76. §. 2. de leg. 2.* constat, *defuncti prohibitione* confusionem auerti. Sensim rigor iuris antiqui temperari coepit. Intererat aliquando creditorum, coniunctas vtriusque diuelli facultates, quibus idcirco praetor, ex aequitate, et vt fidem publicam ac commercia firmaret, *separatione patrimoniorum* prospexit. *L. 1. §. 1. L. 6. de separ.* Tandem IUSTINIANVS heredibus amplius consuluit, *inuentarii beneficio*: vt hoc rite confecto, licet maneat heres, quantum ad iura demortui et obligationes, tamen *effecta confusio- nis et commixtionis* euanescent. Heres, qui illud remedium neglexit, *veteri iure* tenebatur, cum hac veluti molestiarum appendice, vt simul *falcidiam* amittat. *L. 22. C. de iur. del. Veteri*, inquam, iure tenetur, ideoque nec *legatariis* vltra vires hereditarias tenetur *L. 1. §. 17. ad S. Treb.* Cui non repugnat, quod *N. 1. c. 2. §. 2.* poenis, non confectae rerum hereditariarum descriptionis, diserte annumeret, vt satisfiat legatariis, *licet pura substantiae morientis transcendat mensuram legatorum datio*. Nam pura ibi intelligitur substantia, contemplatu *falcidiae*, quae de ipsa non detrahitur. v. §. 1. *d. N.* Vidimus summam iuris noui, in quantum ad praesentem materiam pertinet. Ex illa cognoscitur 1) facto inuentario, heredis et mortui patrimonialia discreta et separata, adeoque 2) creditoribus defuncti non opus esse *petitione separationis ad quinquennium restricta*, 3) actiones, quas heres contra defunctum habuit, non confundi *L. 1. §. 9. C. de iur. del.*

*Del.* 4) nec fideiussores, qui pro debito defuncti se heredi obstringerunt, hunc *exceptione confusionis* repellere.

§. XIII.

Confusioni, per aditionem hereditatis factae, consequens visum est: vt, licet defunctus de rebus heredis disposuisset, et gesta eius repudiata hereditate infirmari, alienata vindicari, retrahiue potuissent, heres tamen, in fraudem suam facta impugnans, *exceptione doli mali* repellatur. Et haec est ratio, cur *nepotibus exhereditatis* ius daretur, ea, quae *ex aui voluntate in familia manere* oportuisset, exteris legata, vindicandi. *L. 114. §. 16. de leg. 1.* Neque existimandum est, huius oneris, heredi impositi, rationem non fuisse patrimoniorum coalitionem, sed tacitum heredis consensum, ex aditione collectum. Hoc solis obstringitur *legatariis, ad ultimam voluntatem adimplendam*: hereditariis autem creditoribus ipsa vnitate, per leges constituta, obligatur. Manifestum id est ex eo, quod licet heres, iure veteri, vellet nollet, vltra aestimationem bonorum hereditariorum aes alienum soluere teneretur, legata tamen de suo non praestaret. (§. 13.) Cur? Nempe haec, ipso aditionis facto, suscepisse intelligebatur: quam fidem tacite datam eo extendi non debebat, vt, absque spe sufficientis ex rebus hereditariis compensationis, alienae liberalitatis minister et effector suis impendiis esse voluerit. Heres, beneficio inuentarii vtens, confusionem illam impedit, et suum ab hereditario censum seungit. Igitur et oneribus confusionem consequentibus eximitur. Talis cum sit obligatio contra factum defuncti, per se heredem non obstringens, non veniendi: sequitur, vt non solum *filius in sola legitima* institutus, sed etiam *ex asse heres*, agnati, extranei, suum vindicare, retrahere, condicere, non prohibeantur, dummodo aduersario soluatur id quod eius interest, quantum hoc a defuncto ipso, si fidem viuus non praestitisset, postulari potuisset. Ita, vt hoc vtar, *transactionem* a matre tutrice, aut de peculio aduentitio a patre, imitam, filius alterutrius heres infirmare non prohibetur.

*Num heres id, quod defunctus in fraudem eius fecit, seruare cogatur?*

libetur, et si pater hypothecam ei, quicum non suo, sed filii nomine transegit, constituerit, quaeque corrumpente arg. L. 46. §. 5. de adm. tut. ipsa conventionem, per se corrumpit. (a) Leges, nobis aduersae, quarum plurimae DIOD. et MAXIM. AA. rescripta continent, (b) iuris veteris tenori consentaneae sunt. (§. 13.) At haec mutauit L. 22. C. de iur. del. cuius totus contextus declarat, confusioni illi, cum suis confectariis, confectatione inuentarii praeuerti posse, ne, ut ait §. 10. d. l. *damnum aliquod heres ex eiusmodi sentiat hereditate*, idque in primis §. 9. d. l. confirmat. Quem §. licet sic interpretetur WISSENBACHIVS, (c) ut iure nouo coheres non pro parte hereditatis a vindicatione rei suae arceatur, sed pro ratione pretii emolumentorum, quae percepit, hereditarium, adeoque si haec valorem rei aequent, plane repellatur, si minoris sint pretii, pro huius ratione audiatur: nec verba tamen legis huic explicationi fauent, nec totus eius tenor. *Similem heres*, ait Imp. *aliis creditoribus habeat fortunam, temporum tamen praerogatiua inter creditores seruanda*. Quamuis, quoties defunctus ad euictionem praestandam obligatus fuit, toties par in heredem obligatio transeat: saluum tamen huius manet *ius euincendi*: quia hereditatem secundum formam legis adeundo, propria iura non perdidit. Quocirca et secundum leges Rom. verius est, *bona fideicommissaria*, quae defunctus alienauit, repeti posse. (d) Alia est ratio testamentariae voluntatis, qua *heres rem propriam, alteri legatam, praestare iubetur*, vel eius res fideicommissio oneran-

(a) V. de hac similibusque quaestionibus FRANZCK. de euict. n. 227. CARPZOV. part. 2. constit. 14. def. 70. quos et laudat DE IVDOLPH. obs. 237. part. 2.

(b) L. 3. C. de reb. al. vel non al. L. 14. C. de R. V. L. 7. C. de neg. gesti. L. 24. C. de donat. Ad L. 73. de euict. vid. WAECHTLER in opusc. edit. Troitz. p. 172. seqq.

(c) in Comment. ad C. ad d. tit.

(d) Vid. STRYK. de iure success. in rev. bon. fam. §. 41.

onerantur, siquidem aditione hereditatis ad vltimam voluntatem implendam vitro se obstrinxisse censetur. §. 4. I. de leg. L. 25. C. de fideic.

§. XV.

Comprobatum est legibus, *semel heredem, semper manere talem* L. 43. §. 3. de V. et P. S. L. 55. §. 2. ad Sc. Treb. L. 7. §. 10. in f. de min. L. 88. in f. de H. I. add. L. 3. pr. de transact. hoc est, neutiquam ab eius suspendi arbitrio, num molestiis, hereditatem, quam adiit, comitantibus, se inuitis creditoribus aliisque quorum interest, atque probabilem disensus rationem allegantibus, exuere velit. Vtrum vero constituto *inuentarii beneficio* non maius ipsi ius competat, in controuersiam venit. (a) *Rerum hereditariarum descriptione rite facta, hereditatem mariti adierat vidua quaedam nobilis, capita exegerat, partemque bonorum a creditoribus ipsius fiduciae commissam administrauerat 29 annos. Tandem e re sua fore iudicauit, secundum normam iuratae enumerationis bona omnia creditoribus dimittere. His abdicationem illam sibi fraudi fore, probabiliter contendentibus, quaesitum fuit, num petitio viduae iusta esset, nec ne? Quod recte negatum est. Ea enim beneficium a IUSTINIANO prodicti sententia non est, perpetuitatem obligationis erga creditores, cuius heredi, lege impositae, et erga legatarios quasi ex contractu ortae, disoluere. Verba §. 13. L. 22. C. de iur. del. hanc interpretationem non refellunt: siquidem totius legis tenor non indicat, ad vnitatem antiquam penitus dirimendam nouum tendere remedium, sed hoc eo pertinet, vt heres nimis molestiis, iacturisque rerum suarum pro debitis alienis, liberetur. Verba dicti §. ex hoc sine explicanda, nihil aliud sibi volunt, quam quod §. 4. l. innuit, nempe vt heres nihil e sua substantia amittat.* Consentientibus creditoribus et legatariis, re in iudicio transacta, nihil impedit, quo minus heres esse desinat, qui

*De perpetuitate vnicatis inter heredem et demortuum. Num ad beneficia inuentarii potestas, aditam hereditatem abdicandi, recte referatur?*

(a) Dissidentium Ictorum nomina et rationes recensuit HERT. in diss. de effectibus non conf. iur. diss. sect. 2. §. 6. seqq.

qui inuiti, sed nullam probabilem prohibendi rationem, damnique sibi impendentis metum, afferentes, ob exceptionem tua non interest, submoueri possunt, heredi contra officio iudicis, per curatorem hereditarij constitutum, recte succurritur.

§. XVI.

*Iuris Pontificii de obligatione heredis ex defuncti delicto sententia. C. 5. X. de rapt. expl. natum.*

Expofuimus de scitis Romanorum. Ad Paparum constitutiones progressuris, differentia vtriusque iuris in heredis obligatione, pro delicto defuncti satisfaciendi, occurrit. Ita enim ALEX. III. in C. 5. X. de rapt. — Quapropter si ita se res habet, mandamus, vt — heredes eius moneas et compellas, vt his, quibus per incendiun, vel alio modo damna contra iustitiam irrogauerat, iuxta facultates suas condigne satisfaciant, vt sic a peccato valeat liberari. Sententia pontificis haec est, heredes eius, qui damnum dederat, non a iudice seculari, sed ecclesiastico, cogendos esse, vt, pro modo facultatum hereditariarum, indemnem praestent eum, qui iacturam fecisset, addita ratione, vt reus, quem post mortem infesta culpae suae conscientia, perpetuo quasi verberare caderet, delicti, per solutionem expiati, venia resciceretur. Non igitur finis huius legis est, vt heredis tranquillitati consulatur, ne sensu interno iniuriae, quod alienum pro ea parte possideat, qua ad indemnitate alteri praestandam impendi deberet, miser discrucietur: sed, licet hoc quoque contendant morum praecipitores theologi, pontificis tamen vnum fuisse hoc consilium, vt defuncti quieti mederetur, verba legis aperte docent, add. c. 22. causa 23. q. 1. Consentunt cum hac constitutione tot alia pontificum rescripta, (a) vt hanc regulam struere possimus: iure pontificio dari actiones ex delictis aduersus heredes, etiamsi nihil ad eos peruenerit, neque defunctus, damnum a se datum sarciri iusserit, (b) dari ad indemnitate, et quidem pro modo patrimonij, quod defunctus habuit, quantumue eius ad here-

(a) C. f. X. de sep. c. 3. X. de pign. c. 20. X. de sent. excom.  
 (b) Tum enim firmior est ipsorum obligatio, vt defunctum reatu et eius consecrariis eximant c. 20. X. de iurei. in f.

heredem peruenit. Igitur prorsus assentimur BÖHMERO, (c) qui hanc actionem aduersus singulorum delinquentium heredes in solidum non competere, neque hos, intermissa licet inuentarii confectioe, suis ex loculis soluere cogi, asserit.

§. XVII.

In manifesto legum Romanarum et pontificiarum conflictu, in controuersiam venit, vtra lex in foris protestantium plurimum habeat ponderis? Vfus sibi non satis constat. (a) Rationem, qua impulsu pontifices talia statuerunt, nempe vt purgatorii miseris anima debitoris liberetur, non probamus: tum quod nulla huius doctrinae certa in S. Codice extant pignora, tum quod ratio perspicit, naturae animae magis consentaneum esse, vt confectum post mortem vel beatae vitae vsura fruatur, vel damnationis statu excrucietur. At vero hoc perpetuum est in quaestione de auctoritate iurium peregrinorum, quae simul cum institutis domesticis totum iurisprudentiae nostrae systema absoluunt, non rationes impellentes legislatorum, in illis expressas, quae interdum a germana philosophia longe absunt, sed ipsas constitutiones approbari, quatenus earum caussa finalis, hoc est, verus in salutem publicam influxus, ad Germaniae quoque statum applicari potest: illas autem leges, quae propius cum iustitia naturali, doctrinis iuris publici vniuersalis, et toto protestantium systemate consentiunt, inter collidentes leges Roman. et Canon. apud nos vincere. Ita in doctrina de decimis, vtut non probemus iuris Canonici rationem a Levitarum nutrimentis, ad theocratiam restrictis, petitam, ipsas tamen huius iuris constitutiones, quatenus cum illa ratione propius non connectuntur, in foris nostris sequimur. Ita et in praescriptione L. t. acquirente bonam fidem continuam auctoritate iuris Can. exigimus, et a iure Ciuili defectimus (qua re num bene an male reipubl. consulatur, nunc non disputo) vtut rationem pontificis in C. f.

De vi harum constitutionum pontificiarum apud protestantes in Germania.

X. de

(c) I. E. P. ad tit. de rapt. §. 133.

(a) Vid. LINCK. ad Decret. lib. 5. tit. 17. §. 5.

X. de praef. ficulneam esse, persuasum habeamus. Similiter id, quod decreta pontificia de heredis obligatione praecipunt, (§. 16.) *dictatis iuris naturalis* conuenit, (§. 4.) et ideo cum doctrinis protestantium pugnare nequit, atque abiecta licet ratione, quae legislatorem mouit, vel ob solum consensum cum iustitia naturali, apud nos vim legis obtinere potuit. Quam utrum obtinuerit, in facto positum est. Cum enim vetera Germanorum instituta, quorum memoriam conseruarunt speculatores, a restitutione damni *per rapinam, furtum, dati, pariter ac solutione pecuniae alea perditae, aut fenoris illiciti*, heredem absoluant: (b) eademque confirmentur paroemia; *der Dieb bezahlet mit dem Styicke*: ius Suenicum in ceteris delictis, si defunctus sit conuictus, *aut heres participauerit*, excipiat; quid est, cur iuri Romano, per maiorum placita firmato, et in *Saxonia electorali per decisionem 86, si poena publica de reo ante mortem vere sumpta fuerit*, corroborato, praefereamus Canonicum? quid est, cur, quod hoc ad iudicem ecclesiasticum, cui iure quodam proprio potestas *de causa peccati iudicandi tradita esse videtur, restringit*, (§. 16.) ad fora nostra *secularia* extendamus? Qui *ad aequitatem* confugiunt, nodum non solunt, sed secant. Iusti et iniusti discrimen sola iudicantium non constat opinione, aut leui ac futili interdum aequitatis persuasione: (c) alias tot fere, fungorum instar, nascerentur iura, quot inania excuderentur iudicum arbitria. Id demum iustum putari debet, quod *iure scripto*, vel *non scripto*, et hoc quidem *legitime probato*, et si aliquantulum duro, definitur. Non vrgebo nunc, *speculi veriusque auctoritate* non constare ius Germanicum *medii aevi vniuersum*: neque id vrgebo, aliter rem definire leges *Ripuaras, Rheni inferioris et Mosae* accolis olim proprias, quae heredem debitis eius, cui

(b) *Spec. Sax. l. art. 6. ibique glossa. Spec. Suv. art. 100. edit. Berger.*

(c) *Ord. Cam. part. I. tit. 13.*



cui successit, expungendis obstringunt, iis, quae ex delicto oriuntur, non exceptis. Hac sola obseruatione mihi negotium confici videtur, iam ante sacra emendata pontificum decreta intra Germaniae fines iuri Romano, et institutis patriis in hac materia, quae quodammodo ad tranquillandam heredis conscientiam facere existimaretur, praeponderasse videri: inprimis ex quo EVGENIUS IV. doctrinam ex *Speculo Saxonico* (§. 16.) commemoratam, quam GREGORIVS XI. antea damnauerat, denuo reprobauit. Sacris emendatis nihil erat, cur ius vsu, licet ex ratione parum idonea, introductum, cum naturalibus tamen praeceptis consentiens, ob solam rationis, quae legislatorem ad legem dandam commouerat, inanitatem abrogaretur. Quare cum *usus legitimus protestantium contrarius* doceri non possit: sequitur, vt verius sit *secundum ius pontificium* iudicari oportere, (d) exceptis iis regionibus, quas nunquam hoc iure vsas fuisse apparet. Ex quo efficitur, vt 1) damnum delicto datum heres soluere cogatur, 2) non vltra hereditatis vires, 3) vt aduersus omnes delinquentis heredes simul instituenda sit actio, et qui vnum in solidum conuenit, exceptione plurimum litis consortium repellatur, 4) vt de his controuersis apud nos non disceptet iudex *ecclesiasticus*, sed *civilis*. Nam hunc non simpliciter cognitione earum rerum, in quibus de tranquillitate conscientiae agitur, excludunt leges pontificiae, quod vel doctrina de *iureiurando* et *b. f. in praescriptio-nibus* arguit: sed fines fori ecclesiastici, cum insigni iurisdictionis civilis intertrimento, quaesito peccati obtentu, protendunt. Quod, cum a principiis protestantium, imo totius

(d) Hanc sententiam probant praeter BÖHMERYM *d. l.* et ENGELIUM ad *tit. decret. derapt. n. 9.* STRYK. in *V. M. ad lib. 9. D. tit. 2. §. 5.* a LEYSER *Spec. I 12. cor. 3.* HERT. *decis. 3.* Contra *ius Civile praefert cum* CACHERANO *decis. 152. n. 7.* H. COCCREIUS in *diss. de oblig. heredis ex del. def. sect. 3. §. 24.*



totius imperii, abhorreat, merito repudiamus: et causam per se civilem, secundum normam iustitiae naturalis, a pontificiis confirmatae, *iudici civili* dirimendam permittimus.

§. XVIII.

*Iura Germanorum, heredi fauentiora, hunc quarundam defuncti obligationum vinculo solvere.*

Ab adscititiis ad patrias leges progredimur. Neque vero iura ex veterum institutis ad heredem non transeuntia, vel quibus maiores nostris heredem frui voluerunt, Romanis ignota enumerare animus est, vt breuitati seruiamus. Non vniuersis debitis pecuniariis heredem, secundum vetera instituta, obligari, ostensurus, cum de *debitis ex delicto* exposuerim, (§. 17.) illa duntaxat, quae ex *factis licitis* oriuntur, nunc persequar. Non ea est mens legum vetustiorum, non ea morum, antequam iura externa regnare inciperent, vsitatorum erat ratio, vt credita quaeq; morte debitoris extinguerentur. (a) Eorum duntaxat contractuum implemento, qui vel vsus liberum rerum immobilium, ad heredem transfarum, huic intercepturi erant, vel ex singulari amicitia, personae defuncti propria, heredi forte graui, proficiscuntur, heredem absoluunt. Ita *locationis* fidem ab herede implendam esse, negat *speculator Saxo*. (b) *Fideiussio* etiam morte fideiussoris passim finiebatur. (c) In primis varia statuta, nec sine aequitate, heredem debitis defuncti illiquidis liberant, si hic in culpa non fuit, quo minus ante obitum suum liquida fierent, sed aegrotus, *morbo tamen epidemico non afflictus*, creditorem ad se vocari curauit, vt cum ipso rationes dispungeret ac consolidaret, is autem absque probabili excusatione emanfit (d) Ob has similesque exceptiones con-

(a) Vid. *ius prov. Alem. c. 254. L. RIPVAR. tit. 67. c. 1.*

(b) *Spec. Sax. III, 27.*

(c) *Lex Burgund tit. 82. c. 2. Stat. Mülb. III, 67. Hamburg. II, 6, 1.*

(d) Vid. *ius Lubec. part. 3. tit. 1. art. 6. cum quo consentit ius Bremense ordel. 72. et Statutum Verdense 43. Recte ad priorem locum animaduertit MEVIUS, etsi debitor*

consultum erat contractibus inferi formulam, *Vor uns vnd unsere Erben*: quae, postquam iuris Romani auctoritas invaluit, ad hunc vsque diem, licet non vbiuis sit necessaria, solennis tamen est, et in iis praesertim contractibus, qui secundum Romanos ad heredes haud transeunt, e. g. *societate*, non plane inutilis.

§. XIX.

Notabilior iuris R. et G. differentia sese exferit in *diuerso modo* defunctum repraesentandi, qui a diuersitate *heredum* pendet: quorum alios ad defuncti bona, huius voluntas, aut, hac deficiente, iuris scripti aut non scripti prouisio, alios cum his simul lex aut mos ab eius voluntate *independenter*, imo contra eam, vocant. Sciendum enim est, secundum vetera instituta nostra, omne aes alienum, de toto demortui patrimonio prius non deduci, quam hereditas intelligatur, neque illi vniuerso vniuersas defuncti obligationes adnecti, aut inter heredes pro ratione partis quotae diuidi. (§. 8.) Maiores nostri 1) eam bonorum complexionem, de quibus plenissime inter viuos aut mortis causa statuere, in potestate defuncti fuit, *hereditatis proprie et eminenter dictae*, nomine comprehendunt. Is, cui haec obtingit, *heres vniuersalis* appellatur. 2) Quasdam rerum corporalium species, cum iuribus, quae ipsis cohaerent, a reliqua hereditate *fe- iungunt*,

*Quoniamque obligationes heredes ex re certa, heredi vniuersi coexistunt, patet, secundum instituta patriar-*

fanus creditorem de rationibus consciendis diligenter interpellauerit, sed, hoc moras nesciente, vitam cum morte commutauerit, debitum extingui. Quod ad creditorem extendit *vetus ius Stadense* 1271. *conditum part. 7. art. 21*. Secundum hoc creditor, qui cum debitore diligenter interpellato, de debito ad liquidum perducendo, ob huius moram, conuenire non potuit, moriens sua fide quantitatem crediti confirmare potest, quam deinceps debitorem, reiectis quibusque exceptionibus, soluere oportet.

F



iungunt, nempe de quibus vel inter viuos pro lubitu statuere defunctus non potuit, vel alium certe, *quam lege scripta, aut non scripta constitutum* successorem, non eligere. Qui his post eius mortem, potitur, *successor singularis* vulgo audit. Sed nec male *heredem ex re certa*, aut *singularem*, appellaueris. Demortui enim personam refert, quoad *rem certam*, h. e. non partem indiuisam vniuersi patrimonii, sed illam rerum speciem, quae ipsi lege nominatim defertur. (e.g. *maritus uxoris heres mobilis in Sax.*) Fallit igitur iure patrio regula: *neminem pro parte testatum* cet. item illa, quae superiori consequens est, *caussa testati trahit ad se causam intestati*. Intercedit quippe separatio iurium et bonorum defuncti, ab ipsa lege proxime profecta, vt mox exemplis expedietur. Sic cum vnus multiplex esse posse patrimonium non dubitent maiores nostri, veluti demortuus, quoad diuersas rerum suarum vniuersitates, diuersam personam sustinisset: (posse vnum hominem plures simul sustinere personas, quid notius?) (a) heredes diuersos defuncti locum ita subire voluerunt, vt heres vniuersalis in omnia defuncti debita, in vtilitatem patrimonii singularis, a reliqua hereditate separati, non contracta, succederet, ad *heredem contra singularem* obligationes, huic, quam obtinuit, bonorum parti adnexae, transmitterentur. (Sic e.g. pecuniam, fenore sumtam, in *clinodia familiae* versam, horum heres solueret.) Caeteris autem, quae ad heredem vniuersalem directe transeunt, vel omnino non, vel, dum is primario obligatur, in subsidium demum accedit *singularis*, ne diuersitas heredum, et discrimen patrimonii, lege factum, debitoris creditoribus fraudi sit. Heres *vniversalis* vel est *ex asse*, vel *partiaris*. Hic pro parte *quota* defunctum refert, e.g. *iure Schauenburgico* vxor ex mariti hereditate, trientem consequitur, si plures ex eo nati liberi sint superstites, *semissem, prole vnica relicta*, contra soluto post annum con-

(a) Quod HERTIVS in diss. de vno homine plures sustinente personarum, praeclare docuit.



connubio coniux coniugis, qui quaeue absque prole decesserit, fit heres *ex asse*. Ex quo intelligitur, quousque is, cui *portio statutaria* secundum leges debetur, defunctum repraesentet? Si enim res *singularis* superstiti coniugi lege deferatur, e. g. *lectus genialis, vestes*, cet. heres non est, sed creditores aduersus heredem vniuersalem experiuntur: qui, si hereditas aliter non fit soluendo, plus, quam oportebat, superstiti coniugi solutum, condicet. Videamus carptim conclusiones nonnullas, quae ex praefstructis his doctrinis colliguntur.

(a) Successor *in gerada, rebus expeditoriis*, non magis, quam vxor, cui *morgengaba* obuenerit, debitis defuncti, de quorum *uersione in illas res non constat*, primario oneratur. (b) Aes alienum tamen, filiam aut cognatam, quae in geradam succedit, principaliter expungere oportet, (c) reliqua autem debita in subsidium; ne per geradae, a rebus hereditariis, separationem, iniqua creditoribus conditio, contra finem huiusmodi successionis, inferatur. Aliter censuerunt Romani. Hi res certas, sub vniuerso patrimonio comprehensas, hereditati adeo opponunt: vt non legatarius, sed heres, legatum a pignore liberare debeat §. 5. *I. de leg.* et praeterita praedii legati onera soluere iubeatur *L. 39. §. 5. de leg. I.* quoniam *hereditas heredes ad legata praestanda obligare videtur L. 17. de duob. reis*, ex quo ratio *L. 1. pr. L. 2. si quis omiff. caus. test.* intelligitur. (β) In iis finibus, in quibus *ius deuolutionis* viget, liberi, ad quos hereditas parentum immobilis deuoluitur, principali aeris alieni solutione omni eximuntur, vt quae *heredem mobiliarem, coniugem* nempe *superstitem*, sequatur, in subsidium vero a creditoribus recte conueniuntur. (d)

## §. XX.

(b) *V. leg. Goslar. antiq.* apud LEIBNIT. *É. I. art. 3. von Gerade, Morgengabe, Hergeweede en gilt men nicht.*

(c) MÖLLER *semest. lib. 2. c. 7.*

(d) STÖCKMANN *de iur. deuol. part. I. c. 13. n. 13.*



## S. XX.

*Speciatim  
de diuersis  
heredis mo-  
biliaris et  
immobili-  
aris obliga-  
tionibus a-  
gitur.*

Princeps ab antiquo est hereditatis allodialis, h. e. feudali oppositae, in mobiliarem et immobiliarem, diuisio. (a) Haec vel praediis gentilicis constat, quae inter illustres *alodia*, et, cum iure dynastiarum antiquo fruuntur, *alodia imperii* vocantur, inter priuatos, strictius *hereditaria* (*Erbe, Erb-Güter*) dicuntur: vel praediis et rebus, quae immobilium iure censentur, a defuncto, cui proxime succeditur, *acquisitis*. Posteriora licet itidem, ob variam succedendi, et demortuum referendi, rationem, a *mobilibus*, quae defunctus comparauit, quorum dominio non restricto gauisus est, distinguantur, cum his tamen, ad *hereditatem proprie dictam*, (*Erbchafts-Güter*) referuntur. Primum, quousque heres in allodiis gentilicis priuatis (*Stamm-Gütern*) nobilium immediatorum, et mediatorum, si de his mos familiae antiquus legitimus, aut totius prouinciae, extra controuersiam poni possit, defuncti personam, quantum ad *debita eius pecuniaria*, referat? quaeri solet. Et puto, superioribus consequens esse, vt debita defuncti, aut ad hunc ab eius antecessoribus translata, quae in rem talis allodii versa esse apparet, vel quibus splendorem et decus, non domus suae, sed totius familiae, promouit vltimus possessor, successorem in praedio gentilicio, fideicommissis familiae affini, primario soluere oporteat, nisi hic probauerit, debita in fraudem suam, et vt heredi bonorum, ad *hereditatem proprie dictam* pertinentium, amplius consuleretur, consari cepisse, aut creuisse, tamen ex fructibus impendia necessaria fieri oportuerit. Tum enim pro rata eius, quo locupletiolem factum esse probatur, hunc teneri, aequitas iubet. Eo autem aere alieno, quod in suam, hereditate sui vniuersalis, vtilitatem, quodue in fumos suos, *def.* impendit, ille primario tenetur, successor autem in allodio creditoribus non aliter in *subsidiu*, quam si aes alienum ob fortuitam vltimi possessoris indigentiam (e.g. tempore belli ad

(a) V. Cel. DREYER de ospitalitatis requisito in testibus.

ad redimendas depraedationes) contrahi debuerit, et pecuniam, ad *subleuandas eius necessitates*, vere collocatam fuisse, constat. Vtut enim *alienationibus voluntariis* possessori huiusmodi praedii interdicatur: ob debita tamen *necessaria*, a luxu, similiae malo non profecta, vrgentibus creditoribus, id genus praedia, *absque agnatorum consensu*, vendi, pignoriue supponi potuisse, verius est. (b) Haec de *praediis hereditariis priuatis*. Allodiorum imperii similis est ratio. Non patitur nunc instituti ratio, tractari controuersias, quae inter *domum regnatricem, et apanagiatos, successores in allodio et heredes mobiliares*, acriter agitari solent. Sane, vt hoc vnum subiiciamus, non sufficit, debitum ab vltimo possessore, aut eius antecessoribus in eadem linea, ortum esse, sed *causam eius, vti in feudis*, inspicere oportet. Quae si circa totius gentis decus versetur, e. g. *impensas in funus eius, cui linea recens extincta successit, possessoris factas, militiam agnatorum, sumtus nuptiales agnatorum*, auctor nouae lineae, cui allodium imperii defertur, vti que obstringitur. A commodo enim successionis hoc seungi incommodum, tantum abest a destinatione talium bonorum genearchicorum, quae, ad honorem familiae tuendum, indiuisa manere oportet, quantum distat ab aequitate. An enim aequum putari fas est, vltimum possessorem, quem splendor domus et gentis suae multos sumtus facere cogit, aliquid ex fructibus comparare, et in *res mobiles* conuertere prohiberi, quod ad heredem suum transmittat, contra creditoribus, vtut, his fenus soluendo, maiori fructuum parte caruerit, post mortem suam relinquere cogi, licet pecunia fenebri, et reliquo aere alieno, non extiterit locupletior, potius illam in decus non suae domus, sed totius gentis, veluti communis familiae procurator, impenderit? Sumtus alii sunt *publici*, quos ciuitatem ferre par est, alii *priuati*, qui heredi-

(b) Loca dedit *Magnif. Dn. PRAESES* in *diff. de oblig. succ. feud. ad solv. aes al. her. §. 3.* His addimus *Stat. Rigens.* apud *ill. PVF. tom. 3. obs. append. p. 225. et Stat. Götting. ib. p. 181.*

reditati mobiliari adnectuntur, alii *gentilicii*, quibus primario successor in allodio oneratur. Consulto praeterimus causam illustrem, in qua ill. Istorum ordinem *ante triennium* de iure respondisse, accepimus. Superest, ut de eo paucis dispiciamus, quomodo defuncti persona referatur, cum hereditas *mobilium et immobilium acquisite* separatim lege defertur, e. g. in *Saxonia, Leodii, Aquisgranii, in terris Iuliac.* cet. Antiquis institutis congrueret, inquiri, in quam partem versam esse constaret pecuniam, de cuius repetitione agitur. Alias repudiata *CARPZOVII* sententia, (c) non puto distingui oportere, num pro debito immobilia hypothecae fuerint supposita, nec ne, et illo casu heredem immobiliam solum teneri, certe, si ad eum res, hypothecae speciali subiecta, peruenerit. (d) Verior mihi esse videtur *MOLLERI* doctrina, ut ea, quae sint in utraque hereditate, omnia (excepta *gerada*, ut per se intelligitur) computentur, et pro rata commodi onera *inter utrumque heredem* diuidantur, e. g. si *immobilia*, inquit, *duobus millibus valerent, mobilia mille, et sic in tota hereditate essent 3000, duae partes, aeris alieni essent solvendae ab heredibus, tertiam solueret maritus.*

§. XXI.

*Num hodie heres inuentario non confectovtravires hereditarias obstringatur?*

Saxones etiamnum inuentarii solennis conficiendi necessitatem heredi non imponere, atque, iurata rerum hereditariarum enumeratione exhibita, eum ab omni petitione absolueri, exploratum est. (a) Reliqua autem Germania, utrum *ius Rom.* sequatur, an vetustioribus institutis insitit, admodum ambigitur. Sunt, (b) qui solenni non opus esse inuentario, ut confussioni praeuertatur, existiment, tum  
aqui-

(c) *Part. 3. const. 25. def. 15.*

(d) Plenius de hac lite egit a *LYDOLPH symph. consult. 1. 26. p. 567. seqq.*

(a) *Vid. CARPZOV. part. 3. const. 33. def. 18.*

(b) *BRVNEM. ad L. f. C. de iur. del. BÖHM. consult. iur. priv. part. 1. decis. 711. n. 9.*



aequitatis naturalis opinione adducti, tum, quam huic fau-  
tricem adiungunt, *iuris Can.* analogia, tum consensu huius  
cum institutis patriis. Illi I. R. non inoleuisse, censent, nisi  
istic locorum, vbi diferta eius approbatio, vel legibus singu-  
laribus, vel moribus indubitatis, doceri possit. At vero in  
constitutione *Iustiniana* nihil est iniquitatis, cum sit in  
potestate heredis, poenam prouida legis obseruatione effu-  
gere, multum contra salubritatis, vt in istiusmodi euentis,  
quae suspiciones, et per has odia mutua, litesque tandem  
sumtuosas et amarulentas, generant, tantus certitudinis gra-  
dus quaeratur, quantus obtineri potest. Leges non in sin-  
gulos, sed in vniuersos, feruntur. Sint mille boni viri, quo-  
rum dictis iniuratis parem atque plurium testium asseuera-  
tionibus iuratis, fidem tuto adhibueris: non deerunt com-  
plices auidi, quos parum angat interior conscientiae malae  
tortor, vt quem sopire norint. Et ideo probabilius est, *inuen-  
tarii confectionem* secundum I. R. ne quidem a testatore re-  
mitteri posse in *fraudem creditorum*, licet talis remissio noceat  
legatariis. (c) I. Can. aequitati fauere, non diffitemur,  
nempe, vt subtilitates iuris R. explodat, quod interdum plus  
iusto principiorum cuidam tenori perinde litat, vt inter-  
dum philosophi systemati, quod semel probarunt, serui-  
unt. Verum haec *IUSTINIANI* constitutio, ad apices illos non  
pertinet, in quos saepe non intellectos multi inuehuntur,  
firmis potius rationibus subnixa, creditoribus, absque vilo  
heredis, si vigilare velit, dispendio, consulendi viam inuenit.  
Neque *cap. 18. X. de test.* ad quod prouocant, hanc quaestio-  
nem dirimit. Ad *iura vetera Germ.* frustra recurritur. Ne  
quaeso dulcibus quorundam somniis nobis illudamus, qui  
in contemtionem et abiectiōem I. R. patriis institutis aram  
ponere gestiunt. Illos ex deuīs in viam, summo, quo  
solet, acumine, reduxit *ill. STRYBE.* (d) Opportunum fuis-  
set,

(c) Vid. STRYK. de remiss. inv. c. 3. n. 12. seqq.

(d) Nebenstunden part. 5. diff. 32.

fct. cum instituta Imp. camera, noua iurisprudentiae epocha  
 exoriretur, suos utrisque legibus fines *accurate* assignari. Nunc  
 autem, ne in *iuris priuati*, quo Germania vitur, ambitu, infe-  
 festa, et nemini, nisi vulturibus forte forensibus amica,  
 fluctuantes iactemur repugnantia, ita statuendum esse ar-  
 bitror: quoties nos deficiunt *Rec. Imp.*, *leges singularum ciui-  
 tatum expressae, earum analogia, et usus ab utroque aduersario  
 agnius, in materiis utriusque iuri propriis, sibi coordinandas esse  
 leges R. et Germanicas.* Ita vt hoc vtar, cum de *iuribus perso-  
 narum, mercatorum, artificum, nobilium, rusticorum, cambicrum,  
 ebstagiorum, communionem bonorum, variis iurisdictionum formis*  
*et. quaeritur, Romanorum scita, si quae sunt, cedunt do-  
 mesticis; apud illos enim plane alia erat harum persona-  
 rum rerumque conditio. Sin de eo agitur iure rerum, quod  
 ante familiaritatem cum I. R. maiores nostri ignorarunt, et  
 huic soli acceptum referunt: secundum hoc ius, tanquam  
 fontem, in ambiguis pronuntiamus. Talis e.g. est *res testa-  
 mentaria*, cuius modum ex I. R. aestimari par est. In caeteris  
 causis, inprimis illis, quae ad *iura rerum pertinent, utriusque  
 iuri*, tum Romano, tum Germanico, *communibus*, illud insti-  
 tutis, ante eius approbationem expressam, a MAXIMILIANO I.  
 profectam, in Germania natis, *inter priuatos*, praeponderat:  
 ea tamen et huius enuntiatu adiecta limitatione, quatenus  
 consuetudo domestica vetustior, de cuius, quia *cum Romano I.  
 vere* pugnat, auctoritate disputatur, non est conclusio prin-  
 cipii cuiusdam, quod ex Romanarum legum codice re-  
 ceptum non esse, minus ambigitur, vel cuius *contrarium*  
 apud nos, post institutorum peregrinorum comprobationem  
 publicam, perpetuo custoditum esse constat. In ne-  
 gotiis enim, quae sub huius exceptionis ambitu continen-  
 tur, domesticis institutis vincuntur externa. Ita in defini-  
 enda *patriae potestatis* mensura sequimur Iustinianum. In  
*titulis*, extra ea, quae leges Imperii diserte suppleuerunt, et  
 emendarunt, eodem iure vtimur. — CAROLVS V. in poenis  
 criminum adeo nos ad consulendos iuris Iustiniani fontes  
 manu-*

manuducit. Contra in forma *fideiubendi* ea, quorum ratio vni-  
 ca in doctrina Romanorum de *stipulationibus* continetur, non  
 probamus. Ne patria potestas solvatur per secundas patris  
 nuptias, nunquam vis Romanarum legum efficere potuit iis  
 locis, quae *communione bonorum inter coniuges vniuersalem*,  
 fontem plurium conclusionum secundum, retinent. Vidi-  
 mus (§. 20.) non magis *heredem allodiorum, praedii hereditarii,*  
*geradae* etc. quam *feudalem*, aere demortui alieno sim-  
 pliciter obstringi: quod ius, inuecto licet iuris Romani do-  
 minatu, nondum extrahi potuit. Colligimus et illud ex  
 hoc enuntiato nostro, non quidem detorquendam esse le-  
 gum Romanarum sententiam, vt iis cum institutis patriis con-  
 ueniat, id enim longe abest ab interpretis, iudicisque religio-  
 si officio: sed si quae explicatio legis cuiusdam difficilis et  
 obscurae, regulis hermeneuticis per se congruat, ac simul  
 cum systemate morum et iurium Germanicorum consentiat,  
 tanto certiori illam fauore in foris nostris dignam videri, et  
 tanto leuiorem esse oportere iudicis dubitationem, in vtram  
 partem inclinet. Dabimus et huius obseruationis duo e-  
 xempla. In controuersia de *successione fisci in feuda mere he-  
 reditaria, fiscum domino directo* anteposit cum CRAVETTA  
 SAM. STRYCK. (a) Sed nos tanto fidentius contrariae sen-  
 tentiae adstipulamur, tum quia rationi *feudorum qualiumcun-  
 que* consentaneum est, extinctis vel deficientibus iis, qui  
 contractu feudali, ad ius domini vtilis impetrandum, con-  
 tinentur, feudum *ad dominum* redire, tum quia vidimus (§. 3.)  
*successionem fisci non esse hereditariam, sed occupationem.*  
 Porro (§. 14.) asseruimus, *reo delicti, nominatim legibus non excepti,*  
*ante condemnationem mortuo, heredi eius poenam pecuniariam irro-  
 gari non debere.* Quae legum interpretatio tanto certius in foro  
 vincit, quo exactius cum vetustis maiorum principiis, in re-  
 stringendis animaduersionibus ad vitam delinquentis, con-  
 uenit: sic vt in *delictis priuatis* hodie, quantum ad poenas *fisco*  
 debitas, idem ius obtinere, ex analogia recte concludatur.

G

Ad

(a) de success. ab int. diff. §. 5. 5.

Ad hanc ipsam vero, qua regulam nostram coercuimus, limitationem, non puto pertinere quaestionem, in qua versamur, *de necessitate et forma inventarii*. Maiores confusionem aditione hereditatis factam non probarunt, (b) exceptis Ripuariis LL. quae heredem ultra patrimonii hereditarii vires obligant, et de beneficio inventarii nihil praecipunt. Igitur heres in bonis defuncti acquisitis (*wolgewonnen Gütern*) et simul in hereditariis, (*Erbgütern*) α) de suo aes alienum demortui non luebat, β) facta huius in fraudem suam, nempe in praediis gentilitatis aut feudis, impugnare poterat, nullum licet reperiendum hereditatis confecerit. Sed usum consentientem huius iuris antiqui patri a saeculo XV. ad nos usque translato, plane aduersari, nemo facile dixerit, imprimis iis locis, quae iura Saxonica vetera diserte legibus exterminarunt. Quare rectius mihi sentire videntur, qui, uti in *finibus Borussiae* diserte proditum est, etiamnum inventario ad illos effectus opus esse, *fisco instituto*, et ecclesia non exceptis, (c) nec qualemcunque descriptionem, iureiurando confirmatam, sufficere arbitrantur.

TANTVM.

(b) *Spec. Sax. I. 6.* Plura loca v. apud ill. REINHARD. *kleine Auführ. tom. 2. p. 377. seqq.*

(c) V. H. COCCEI. in *diff. de pœnis non conf. inv. sect. 1. §. 26. seq. et hypomn. Inst. tit. de I. del. SAM. L. B. de COCCEI in I. Controv. ad tit. de iur. del. q. 2.*

COROLLARIA.

I. Delicti capitalis reo propter obestatem non simpliciter immunitas a tortura competit. II. Biceps non rumpit testamentum. III. Stupra violenta perinde ut veneficia in bello, non solum cum decencia et humanitate populorum, sed etiam cum iure G. secundario, pugnant. IIII. Scripta patrum ecclesiae moralia, tum doctrinis ethicae nimis rigidae non vacant, tum aliquoties locutionibus vagis, contra auctoris sententiam, eorum systemati

matifauent, qui plura, quam leges diuinae exigunt, officia Christianis imponunt V. Interdictum, ne medicus ab aegroto emat, qui eius opera vititur, ad chirurgos quoque pertinet: neque ad morbos acutos restringi debet; contra ad familia pacta et contractus extendi oportet: et cum istiusmodi promissiones plane non valeant, non opus est, ut actor probet, consensum aegroti medicum extorsisse. VI. In facti quaestione, utrum lues pecorum dolo aut culpa rei propagata fuerit, iurandum suppletorium a iudice decerni potest. VII. Ius diuinum consensum parentum in nuptiis liberorum non exigit. VIII. Matrimonium cum femina Mahometanae religioni addicta, ratum et legitimum, secundum ius protestantium, censeri oportet. IX. Sacerdos, Christiano animam agenti, sacram coenam porrigens, vel infantem baptizans, hos actus sacros intermittere, et contra vim iniustam corpori suo illatam aut imminentem, se defendere potest. X. Iudaei in Imp. R. a Christianis magistratibus, saluis legibus diuinis, naturalibus et postitiuis, cum suis ritibus, ceremoniis et synagogis, tolerari possunt. XI. Partus rubustus, septimo mense matrimonii natus, marito obrudi nequit. XII. Matrimonium ea lege contrahi nequit, ut non intercedat copula carnalis.

PATER FILIO SVO S. D.

Academicorum, quos vocant, honorum aliqualem ut expeteres gradum, quod nosti, meum neque consilium, neque mandatum fuit, affirmantis continuo, quod, mea quidem sententia, praestaret, homines re vera fieri doctos, quam doctores vulgari modo appellari: solidam eruditionem atque virtutem ipsam esse praemiorum loco sibi, quam, inuidia etiam ringente, licet parum videatur illis fauere fortuna, laus semper sua, voluptas animi vera, gloriaque inconcussa maneat: et esse hominis magnanimi, prudentis saltem, vnam dignitatem et amplitudinem in grauitate et rebus gestis positam, existimare. Quandoquidem vero Patronis atque Praeceptoribus tuis, sapientibus Iureconsultis, Magnifico praesertim DOMINO PRAESIDI, quibus mecum omnia debes, ita visum est, ut melius consuleres tibi, ad honores academicos, gradum publica disputatione

quen-

quendam esse ambiendum: benevolentiam illorum agnosco et laudo, conatus etiam ipsos, ut patrem decet, ex animo gratulor tibi, et opto, bonis artibus ita proficias semper, ut, apud Deum hominesque probos gratiosus, in id nitaris unice, ut benefici Numinis, a quo sumus, quicquid sumus, et habemus, quicquid habemus, diuinam i. e. summam gloriam, et patriae commoda pro viribus olim promouere studeas: patris quoque insistsens vestigiis, assiduitate, cura, et labore indefesso, inchoata, magis fortunato successu, perficere queas. Si bene beateque vis viuere: unum tibi iuris omnisque felicitatis fundamentum commendo, verum Dei et proximi amorem, qui et legum vniuersarum continet summam, nec quemquam finit naturae, siue rationi, non viuere conuenienter. Iuris a pueritia didicisti principia vel praecepta, honeste viuere, alterum non laedere, suum cuique tribuere: quae quidem et alia omnia nobis, ut facta nostra sit recta salus, nec detrimenti quid capiat resp. castus ille vnus amor suadet. Sine amore, qui, legum velut omnium nexus, erga Deum et homines officia quaeque complectitur, mundi Seruatoris Christi ne affecta quidem deuotusque discipulus, nedum adeo commendati omnibus iuris consultus esse et appellari quisquam potest. Imo hominem humanitatem ipsam, quae sine vero castoque illo amore nulla est, omnem excuisse oportet. Tu ergo, ut hominis iurisque periti satisfacias officio, et suum cuique tribuas, omnes Christiano, i. e. sincero amore, procul ab omni furo, simulatione, et iniuria, semper amplecti, atque adeo per omnem vitam, pro viribus, iuuare memento. Vale, et fac randem, dilecte fili, ut aetas mea iam ingrauescens in tuo virtutis ac literarum amore conquiescat. Rintelii a. d. XVI. Kal. Nov. cD lb cc LVII.

Quamuis, vel quoties tentavi carmina, Musae  
 Tentantem, numeris nectere verba, vetent.  
 Ast celebrare diem laetum concepta voluptas  
 Imperat, et fileam, nec tamen illa iuuat.  
 Sed vincant illae, TIBI vel breuitate placebo.

Displiceant versus, si TIBI sic placeam.

M. C. G. STEVBER, RINTEL,



Rinteln, Diss., A48-61

ULB Halle  
005 023 203


3



TA → OL nr 1+24 Stück







23

DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS  
DE  
**HEREDE DEFVNCTVM**  
IN DEBITIS PECVNARIIS NON  
SIMPLICITER REPRAESEN-  
TANTE

775771.

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE HEREDITARIO  
AC DOMINO

P. 294 **DN. FRIDERICO**

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ET AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO  
**FRIDERICO GVILIELMO PESTEL**

I. V. D. EIVSDEMQUE ET PHILOS. MORAL. PROFESS. ORDINAR.  
PRAECEPTORE ET PATRONO SVO AETERNVM  
DEVENERANDO

**PRO LICENTIA**  
SYMOS IN VTROQUE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI  
A. D. V. ID. *c. l. l. cc LVII.*

PVBLCO CELEBERRIMORVM ACADEMIAE PROCERVVM  
EXAMINI SVBMITTET

**HERMANNVS NICOLAVS FVNCCIUS**  
RINTELIENSIS.

RINTELII TYPIS IOH. GODOFR. ENAX A. T.

